

*Wolff David Technicus  
Mysen comp. 10. 9k.  
1679.*

~~P. M. is.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITTEBERG.  
IV A 98  
SIGNAT. CLVCCCXIII.



4  
M. JACOBI THOMASII  
Erotemata  
METAPHY-  
SICA  
pro incipientibus.

*Accesfit*  
pro adultis

Historia variæ fortunæ,  
quam Metaphysica experta  
est.

Editio Secunda Auctior & Cor-  
rectior.

*Cum Grat. & Privil. Elect. Saxon.*



LIPSIÆ,

Sumptibus GEORGII HEINRICI FROMMANNI,

Literis JOHANNIS COLERI.

ANNO 1678.

M. JACOBI THOMASII

PROFESSORIS

METAPHYSICAE

ORDINARIUS

IN UNIVERSITATE

WITTEBERGENSI

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICAE

IN METAPHYSICA

PRIMUM

LIBER PRIMUS



DE METAPHYSICA



IN QUODAM

NUMERO

LIBRARIORUM

ANNO



FLORENTISSIMÆ  
LIPSIENSIIUM  
REIPUBLICÆ

DOMINIS

CONSULIBUS,

UNIVERSOQVE

ORDINI SENATORIO,

VIRIS

MAGNIFICA EXCELLENTIA,  
NOBILISSIMA PROSAPIA,  
DIGNITATE AMPLISSIMA,  
PRUDENTIA CONSULTISSIMA  
ILLUSTRIBUS,

PATRONIS SUIS,

Plurimorum in se suosq;

Beneficiorum memor

Erotemata hæc Me-  
taphyfica

*dedicat*

M. JACOBUS THOMASIIUS, P. P.  
Senatoriæ Scholæ Rector.

## P R Æ F A T I O

## AD LECTOREM.

**Q**uid esse credam Metaphysicam, prout hodiè tractatur à plerisque, aperui in annexâ his Erotematibus Historiâ. Veluit eam olim Aristoteles Theologiam esse naturalem. Sed ab hujus consilio aberrantes Scholastici perferunt, ut posteaquam ab illâ tandem Pneumaticam revulsimus, merum remanserit Lexicon Philosophicum, personâ tamen justæ scientiæ tam indutum comptè, ut pro disciplinarum Theoreticarum principe fallere potuerit etiam eruditissimos. Jam quia Lexico qualicunqve Philosophico carere studiosa Juventus nullo modo potest: causa est, cur huic errori nec periculoso, neque hætenus è Scholis exterminato, præsertim si res sit nobis cum incipientibus, faveamus. Cæterùm in hanc fortunam conjecta Metaphysica subnectetur commodissimè, vel connectetur etiam, Logicæ, tanquam aliquid ab hac non minùs propinquis finibus distans, quàm quibus à Grammaticâ separatur Lexicon Latinæ Lingvæ. Hæc ego de causâ iis, qui parum sibi familiare Lexicon hoc fecissent, credidi satis esse, si bonâ fide

PRÆFATIO AD LECTOREM.

fide distinctiones terminorum præcipuas, h. e. per omnem philosophiam, imò & sublimiorum artium spacia insignem usum præbentes, habitu scientiæ non malè vestitas addiscerent, controversiis, quæ de Metaphysicâ, si verè scientia sit, agitantur, interim abstinerent. Ita mihi nata hæc Erotemata sunt. In quibus fecit ea sanè, quam huic Lexico cum Logicâ intercedere dixi, affinitas, ut admiscerentur quædam à Logi- cis minimè aliena (a). De cætero capitum ordinem, in parte quidem generali, ( de speciali postea dicam, ) eundem constitui, quem videbam à Johanne Stierio fuisse observatum in Tabellis: nam hæc apud nos hodiè passim hoc in genere vigent. In ipsis tamen rebus non ita me ipsi mancipavi, ut nihil, quod ab eo traditum esset, omitterem, nihil adderem, quod ipse transiliisset: sed in his obsecundavi arbitrio meo. Interdum & ab ejus sententiâ recedens, alios secutus sum duces, sicubi magis hi place- rent. Tantò securiùs, quòd viderem, ipsum quoque Stierium alicubi tritum plurimorum vestigiis callem deseruisse: ut cum

) ( 3

veri-

(a) ut cap. XV. de necessariâ propositione; cap. XX. de oppositis.

PRÆFATIO

veritatem inter attributa entis nominans esse statuit extrinsecam rebus denominationem, in quo quidem Stahlum (*b*) opinor, (huic enim non pauca debere dixerim,) magistrum habuit. Neque nos huius sententiæ, quod assensu digna videretur, puduit (*c*). Vicissim non metuimus alibi sive à Stierio, sive à communibus placitis deficere, si ratio svaderet. Quale illud est, cum ens, quod objectum sit Metaphysicæ, restrinxi (*d*) ad solum ens actuale, potenciali seu possibili ad entia rationis, quæ verè sunt non entia, relegato. Habet enim ea doctrina, quæ veris entibus ac realibus ens etiam potentiale aggregat, multum incommodi, & contrariam sententiam præiverant mihi Max. Rever. Calovius (*e*) è Nostris, è Reformatis Paulus Voëtius (*f*). Hoc jacto fundamento seqvebatur & illud quidem porrò, actum & potentiam, aut longè alio sensu exponi oportere, si retinerentur

(*b*) quem vide Tab. XXII. Metaph.

(*c*) cap. V. num. 3.

(*d*) cap. II.

(*e*) part. gen. metaph. dis. c. 5. & 6. p. 247. & 258. script. philos.

(*f*) prima Philos. reform. c. 3. num. 12. & c. 4. num. 4. p. 48. & 63.



AD LECTOREM.

tur inter disjunctas entis affectiones, quàm eo qui obtinet vulgò; aut disjunctivam affectionem non esse, quòd unitam potius constituere videatur solus actus; aut hunc ne affectionem esse quidem, sed aliquid ipsum entis conceptum primum imbuens: veruntamen quia prima ratio subobscuram habet & ambiguam interpretationem, secunda verò ac tertia novum nobis in generali parte capitum ordinem imperavisset, quem tamen acceptum à Stierio custodire diligenter deliberatum erat: nihil hìc à receptâ termini utriusque applicatione mutavi, monui tantùm, tam latè hâc in distributione vocem entis accipi, ut ens quoque possibile comprehendatur (g).

In parte speciali hærebam, Nihil aliud ibi Stierius, communem videlicet methodum sectatus, attulerat, quàm de summis decem entium generibus ea, quæ jam fuerant inculcata, aut inculcari certè poterant, in Logicis. Quæ causa Stahlum movit, ut hanc partem in Tabellis Metaphysicis planè excluderet. Neutrum arridebat mihi. Quamobrem eam sic ordinavi, ut summorum generum doctrinæ brevissimè perstri-

ctæ

---

(g) cap. VII, num. 46. & seqq.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ctæ anteponerem aliquid, quod nec in Logicis doceretur, neque non esset speciale, luculentam insuper haberet cum generali Metaphysices parte connexionem, simul efficeret, ut huic etiam Lexico inesset aliquid, quod Theologiam naturalem, h. e. veterem illam Metaphysicæ nobilitatem, resperet. Ostendi, quemadmodum è singulis entis affectionibus tam unitis, quam disjunctis separari Deus à creatura posset. Sic effeci, ut nec sterilis planè jaceret ager partis specialis, nec reponeret ea, quæ jam licebat è Logicâ metere. Quæ si tibi, Lector benevole, ratio non satis probabitur, spero certè non displiciturum etiam hoc in scripto divinam gloriam sic illustrandi consilium.



JUVAN.



JUVANTE TRIUNO!

METAPHYSICORUM  
EROTEMATUM

CAPUT I.

De Naturâ & Divisione  
Metaphysicæ.

I.

**Q**uid est *Metaphysica*? Est disciplina communissima & generalissima, de ente quatenus ens est.

2. In quot partes dividitur *Metaphysica*? In duas; nempe communem seu generalem, & propriam seu specialem.

3. De quo agitur in parte generali? De Entis naturâ & affectionibus.

4. De quo in parte speciali? De Entis speciebus.

5. In quot tractatus dividi potest pars generalis? In duos, quorum prior, isq; brevissimus, capite unico agit de naturâ entis; posterior, isq; longissimus, de Affectionibus Entis tum unitis, tum disjunctis.

6. In quot partes dividi potest pars specialis?

A

Simi-

Similiter in duas, quarum prior agit de DEO & Creaturâ, posterior de Substantiâ & Accidente.



## CAP. II.

Partis Generalis Tractatus prior:  
De Naturâ Entis.

1. **Q**uot modis sumitur vocabulum entis? Duobus modis, vel pro Ente reali, vel pro ente rationis.
  2. *Quid est ens reale?* Quod reverâ existit, e. g. homo.
  3. *Quid est ens rationis?* Quod reverâ non existit, sed fingitur à mente, e. g. Chimæra.
  4. *Quotuplex est ens rationis?* Duplex, possibile & impossibile.
  5. *Quid est ens rationis possibile?* Quod non existit quidem, potest tamen existere, saltem per potentiam DEI absolutam, e. g. Chimæra.
  6. *Quid est ens rationis impossibile?* Quod neque existit, neque potest existere, ne quidem per potentiam DEI absolutam, e. g. homo irrationalis.
  7. *Quodnam ens est hujus loci?* Ens reale.
  8. *Quot sunt divisiones entis realis?* Duæ.
  9. *Quanam est prior?* Ens est vel DEUS vel Creatura.
  10. *Quanam posterior?* Ens est vel Substantia vel Accidens.
  11. *Quales sunt hæ divisiones?* Generis in species.
  12. *Gene.*

12. *Generisne Univoci an Analogi?* Analogi.

13. *Quare?* Quia ens primariò prædicatur de DEO & Substantiâ, secundariò de Creaturâ & Accidente.

14. *Declara.* Quia si DEUS non esset, neque Creatura esse posset: similiter sublatâ substantiâ tollitur accidens. Non verò vice versâ, sublatâ Creaturâ vel accidente tollitur etiam DEUS vel Substantia.



CAP. III.

Partis Generalis Tractatus  
posterior.

De Affectioibus Entis  
in genere.

1. *Quomodo aliàs vocantur affectiones entis?* Proprietates ejus, item attributa.

2. *Quotuplex est affectio entis?* Duplex, unita seu simplex, & disjuncta.

3. *Da exemplum affectionis unitæ.* Bonitas.

4. *Da exemplum disjunctæ.* Causa & causatum.

5. *Quid est affectio entis unita?* Quæ de ente prædicatur in sensu unito, e. g. Omne ens est bonum.

6. *Quid est affectio entis disjuncta?* Quæ de ente prædicatur in sensu disjuncto, e. g. Omne Ens est vel causa vel causatum.

7. *Quid est prædicari in sensu disjuncto?* Præ-

dicari per plures terminos particulâ disjunctivâ separatos.

8. *Quid est predicari in sensu unito?* Prædicari per unicum terminum: quo pacto non est locus particulæ disjunctivæ.

9. *Quot sunt affectiones entis simplices vel unitæ?* Tres: Unitas, Veritas, Bonitas.

## CAP. IV.

## De Uno.

**Q***uid est unitas?* Est affectio entis, per quam illud est indivisum.

2. *Quot sunt præcipue distinctiones Unius?* Duæ.

3. *Quenam est prior distinctio?* Unum est vel indivisum indivisibile, vel indivisum divisibile.

4. *Quid est indivisum indivisibile?* Quod neq; actu divisum est, neq; dividi potest.

5. *Quid est indivisum divisibile?* Quod actu quidem indivisum est, potest tamen dividi.

6. *Quomodo aliàs vocatur indivisum indivisibile?* Simplex, e. g. DEUS.

7. *Quomodo aliàs vocatur indivisum divisibile?* Compositum, e. g. substantia corporea.

8. *Ubinam de hac distinctione porro agetur?* Cap. XVI. quod inscriptum est de simplici & composito.

9. *Quenam est posterior distinctio?* Unum est vel per se, vel per accidens.

10. *Quomodo aliàs vocatur unum per se?* Ens per se.

II. *Quæ*

11. *Quomodo aliàs vocatur unum per accidens?*  
 Ens per accidens.

12. *Quodnam ens vocatur unum per se?* DEUS, aut illud, quod per se est in uno prædicamento, e.g. Angelus, homo, nigredo, &c.

13. *Quodnam ens vocatur unum per accidens?*  
 Quod non est per se in uno prædicamento, e.g. acervus lapidum, exercitus, domus, niger, &c.

14. *Quotuplex est ens per accidens?* Duplex: alterum, cujus partes componentes corporaliter non cohærent; alterum cujus partes componentes corporaliter cohærent.

15. *Quotuplex est ens per accidens prioris generis?* Duplex: aut enim partes illæ carent ordine, ut acervus lapidum; aut habent ordinem, ut exercitus.

16. *Quotuplex est ens per accidens posterioris generis?* Duplex: aut enim partes cohærent beneficio artis, e.g. domus; aut beneficio naturæ, e.g. concretum naturale ex substantiâ & accidente.

## CAP. V.

## De Vero.

1. *Estne veritas propriè affectio entis?* Non.

2. *Quare?* Quia non inest enti, sed intellectui de ente.

3. *Ergone nullo modo potest vocari affectio entis?*  
 Potest vocari affectio entis externa seu extrinsecè denominans.

4. *Cujus ergò propriè affectio est veritas ? Intellectûs vel propositionis.*

5. *Qualis est hæc affectio respectu intellectûs vel propositionis ? Interna & quidem disjuncta.*

6. *Quare disjuncta. Quia dico omnis propositio est vel vera vel falsa.*

7. *Quid ergò est veritas ? Est conformitas intellectûs vel propositionis cum re ipsâ extra intellectum.*

8. *Quid est falsitas ? Est difformitas intellectûs vel propositionis à re ipsâ extra intellectum.*

9. *Da exemplum propositionis veræ. Homo est bipes. Homo non est leo.*

10. *Da exemplum propositionis falsæ. Homo est quadrupes. Homo non est animal.*

11. *Quot modis considerari potest qualibet propositio ? Tribus modis : quatenus nimirum est (1) in mente seu intellectu, (2) in ore seu lingvâ, (3) in chartâ seu scripturâ.*

12. *Quomodo aliàs vocatur falsitas propositionis, quatenus est in intellectu ? Ignorantia pravæ dispositionis.*

13. *Quare sic vocatur ? Ut distinguatur ab ignorantia puræ negationis.*

14. *Quotuplex ergò est ignorantia ? Duplex : puræ negationis, & pravæ dispositionis.*

15. *Quid est ignorantia puræ negationis ? Quando quis ad quæstionem propositam ideò planè nihil respondere potest, quia subjectum ejus vel prædicatum, vel utrumq; terminum planè ignorat.*

16. Non



16. *Declara per exemplum.* Si ex rustico quæras, an Sol sit in prædicamento substantiæ? vel, an Syllogismi tertiæ figuræ sint perspicui? vel, an individuum sit prædicabile? nihil poterit respondere: quia ignorat sensum harum quæstionum, dum in primâ quæstione nullam habet notitiam prædicati; in secundâ nullam subjecti: in tertiâ nullam utriusq; termini.

17. *Quid est ignorantia prave dispositionis?* Quando quis intelligit quidem sensum quæstionis, sed ad illam respondet affirmando, cum negativa vera est, vel negando, cum vera est affirmativa.

18. *Declara per exemplum.* Si imperitum hominem interrogas: an Sol sit major terrâ, & ille neget: dicetur habere ignorantiam prave dispositionis, quia falsô iudicat solem non esse majorem terrâ, cujus contrarium demonstrant Astronomi.

## CAP. VI.

## De Bono.

1. **Q**uot modis potest considerari bonum? Duobus: vel in respectu ad seipsum, vel in respectu ad alterum.

2. *Quomodo vocatur bonum in respectu ad seipsum?* Bonum absolutè, seu simpliciter.

3. *Quomodo vocatur bonum in respectu ad alterum?* Bonum alteri.

A 4

4. *Quid*

4. *Quid est bonum absolutè seu simpliciter dictum?* Est quod habet perfectionem debitam inesse.
5. *Quot sunt divisiones boni absolutè dicti?* Duæ.
6. *Quanam est prior?* Bonum est vel tale per essentiam, vel tale per participationem.
7. *Quid est bonum per essentiam tale?* Quod perfectionem suam habet à se ipso. Tale bonum est solus DEUS.
8. *Quid est bonum per participationem tale?* Quod perfectionem suam habet ab aliò. Et tale bonum est quævis Creatura.
9. *Quanam est altera divisio?* Bonum est vel transcendente, vel naturale, vel morale.
10. *Quid est bonum transcendente?* Quod habet perfectionem transcendentem.
11. *Quanam est perfectio transcendentis?* Essentia seu existentia.
12. *Quid est bonum naturale?* Quod habet perfectionem naturalem.
13. *Quid est perfectio naturalis?* Est facultas benè operandi cuiq; naturæ conveniens.
14. *Quomodo hic accipitur vocabulum natura?* Quatenus contradistinguitur à voluntate.
15. *Quid est bonum morale?* Quod habet perfectionem moralem.
16. *Quid est perfectio moralis?* Est perfectio, quæ convenit naturæ liberæ, quatenus est libera.
17. *Quanam bonitas ex his tribus generibus est affectio entis unita?* Transcendentis.
18. *Qua-*

18. *Quare?* Quia omne ens est bonum transcendentaliter, i. e. habet essentiam seu existentiam.

19. *Annon etiam bonitas naturalis & moralis sunt affectiones entis unitæ?* Non.

20. *Quare?* Quia non omnia entia habent bonitatem naturalem vel moralem.

21. *Da exemplum entis, quod caret aliquâ bonitate naturali.* Homo cæcus, qui sc. caret naturali potentiâ videndi.

22. *Da exemplum entis, quod caret aliquâ bonitate morali.* Homo injustus, i. e. carens justitiâ, quæ est bonitas moralis.

23. *Quid est bonum alteri?* Quod est appetibile ab altero.

24. *Declara per exemplum.* Aqua est bona pisci, sanitas est bona animali, scientia est bona homini.

25. *Quotuplex est bonum alteri?* Totuplex quot sunt entia, quæ appetere aliquid possunt tanquam bonum sibi conveniens.

26. *Declara.* Aliud est bonum homini, aliud eqvo, aliud arbori, aliud lapidi, aliud igni, aliud foli, &c.

27. *Quot sunt divisiones boni humani?* Plures, quæ videri possunt in tabulis nostris ethicis.

28. *Quid est malum?* Malum est privatio perfectionis debitæ inesse.

29. *Quot sunt divisiones mali?* Tot, quot boni, nisi quòd bono transcendentali nullum malum opponitur.

30. *Quare?* Quia omne ens est bonum transcendentaliter; nullum ergò ens est malum transcendentaliter: aliàs ne quidem ens esset.

31. *Quidnam opponitur bono morali?* Malum morale.

32. *Quomodo aliàs vocatur malum morale, quatenus significat actionem moraliter malam?* Malum culpæ seu peccatum.

33. *Quare sic vocatur?* Ut distingvi possit à malo poenæ.

34. *Quid est malum poenæ?* Est quælibet carentia boni aliàs debiti, contracta seu inflictæ ob culpam.

#### CAP. VII.

### De affectionibus disjunctis in genere, & de Actu in specie.

1. *Quotnam sunt in universum paria affectionum disjunctarum?* Decem: quorum quatuor priora vocantur immediata, sex posteriora mediata.

2. *Quodnam est primum par?* Actus & potentia.

3. *Quodnam secundum?* Principium & principiatum.

4. *Quodnam tertium?* Causa & causatum.

5. *Quodnam quartum?* Necessarium & contingens.

6. *Quod-*

6. *Quodnam quintum?* Simplex & compositum.

7. *Quodnam sextum?* Totum & pars.

8. *Quodnam septimum?* Idem & diversum.

9. *Quodnam octavum?* Universale & singulare.

10. *Quodnam nonum?* Finitum & infinitum.

11. *Quodnam decimum?* Perfectum & imperfectum.

12. *Quotnam sunt præcipuè distinctiones in vocabulo actus?* Tres.

13. *Quenam est distinctio prima?* Actus est vel purus vel impurus.

14. *Quinam actus vocatur purus?* Solus Deus.

15. *Quinam actus vocatur impurus?* Quælibet creatura.

16. *Quid est actus purus?* Tale ens, in quò nulla est potentia passiva.

17. *Quid est actus impurus?* Tale ens, in quo est potentia passiva.

18. *Quid hic vocas potentiam passivam?* Potentiam talem, secundum quam ens aliquod potest perfici vel corrumpi ab aliquò.

19. *Quenam est secunda distinctio?* Actus est vel primus vel secundus.

20. *Quid est actus primus?* Forma vel substantialis vel accidentalis, quatenus ea implicat potentiam agendi vel patiendi.

21. *Da exemplum actus primi.* Potentia ambulandi.

22. *Quid*

22. *Quid est actus secundus?* Est exercitium ab actu primo proveniens.

23. *Da exemplum actus secundi.* Ambulatio ipsa.

24. *Quenam est tertia distinctio?* Actus est vel signatus, vel exercitus.

25. *Quid est actus signatus?* Est forma generalis abstracta à suis speciebus.

26. *Quid est actus exercitus?* Est forma, quæ cum certâ specie concrevit.

27. *Declara hæc per exemplum.* Logica considerat Syllogismum in actu signato, i. e. sub formâ generali, definiendo illum & dividendo; Politica verò & aliæ disciplinæ, v. g. Physica, Theologia considerat Syllogismum in actu exercito, h. e. in certâ specie, puta Politicum, Physicum, Theologicum, &c.

## CAP. VIII.

## De Potentiâ.

1. *Quot sunt distinctiones Potentiæ?* Duæ.

2. *Quenam est prior distinctio?* Potentiæ est vel activa, vel passiva, vel objectiva.

3. *Quid est potentiæ activa?* Secundum quam aliquid potest agere.

4. *Da exempla.* Potentiæ docendi in Præceptore; potentiæ calefaciendi in igne.

5. *Quid est potentiæ passiva?* Secundum quam aliquid potest pati vel recipere.

6. *Da*

6. *Da exempla.* Potentia discendi in discipulo; potentia calefiendi in aquâ.

7. *Quid est potentia objectiva?* Secundum quam aliquid potest existere, quod planè nihil est.

8. *Declara per exemplum.* Antequam DEUS crearet mundum, mundus erat in potentiâ objectivâ.

9. *Quot modis subdividi potest potentia activa?* Duobus modis.

10. *Quanam est prior subdivisio?* Potentia activa est vel DEI, vel creaturæ.

11. *Qualis est potentia activa DEI?* (1) Infinita, unde vocatur omnipotentia, (2) non conjuncta cum potentiâ passivâ.

12. *Qualis est potentia activa creaturarum?* (1) Finita, (2) conjuncta cum potentiâ passivâ.

13. *Quotuplex est potentia creaturæ?* Duplex: Naturalis & obedientialis.

14. *Quid est potentia creaturæ naturalis?* Quæ viribus naturæ cum generali DEI concursu potest perducì ad actum.

15. *Da exemplum.* Talis potentia naturalis est in vite, ut producat vinum.

16. *Quid est potentia creaturæ obedientialis?* Quæ non potest perducì ad actum viribus naturæ, sed requirit concursum DEI specialem & miraculosum.

17. *Da exemplum.* Talis potentia obedientialis erat in aquâ, cum Christus ex eâ efficeret vinum.

18. *Quæ-*

18. *Quenam est altera subdivisio potentiae activae?* Potentia activa est vel naturalis vel libera.

19. *Quomodo hic sumitur vox naturalis?* Non in oppositione ad praternaturalem, sed ad voluntariam.

20. *Da exemplum potentiae activae naturalis.* Talis est potentia comburendi in igne.

21. *Da exemplum potentiae activae liberae.* Talis est potentia scribendi in homine.

22. *Quot modis differunt haec duae potentiae?* Duobus modis: partim ratione subjecti, partim ratione formae.

23. *Quomodo ratione subjecti?* Potentia naturalis reperitur in substantiis voluntate carentibus, e.g. in igne; potentia v. libera in substantiis voluntate praeditis, e.g. in hominibus, Angelis & DEO.

24. *Quomodo differunt ex parte formae?* Potentia naturalis positis omnibus ad hoc agendum requisitis non potest non agere, vel etiam aliter agere, ut patet exemplo ignis comburentis. Potentia verò libera positis omnibus ad agendum requisitis potest non agere, vel etiam aliter agere, ut patet exemplo hominis scribentis.

25. *Annon dantur etiam in homine potentiae naturales?* Dantur.

26. *Declara per exempla.* Talis est potentia concoquendi in ventriculo, pulsandi in arteriis, &c.

27. *Quomodo subdividitur potentia activa libera?* In ordinatam & absolutam.

28. U-



28. *Ubinam locum habet hæc distinctio? Partim in DEO; partim in hominibus.*

29. *An eodem modo utrobique explicatur? Non, sed aliter de DEO, aliter de hominibus.*

30. *Quid est ordinata potentia DEI? Cùm DEUS agit absque miraculo, secundum ordinem aut legem à se positam.*

31. *Da exemplum. Ut cùm DEUS vinum nasci jubet ex vite.*

32. *Quid est potentia DEI absoluta? Quâ Deus agit miraculosè, præter vel contra ordinem aut legem à se positam.*

33. *Da exemplum. Ut cùm Christus vinum fieri iussit ex aquâ.*

34. *Quenam potentia creature respondet potentia DEI ordinata? Naturalis.*

35. *Quenam potentia creature respondet potentia DEI absoluta? Obedientialis.*

36. *Ubinam inter homines solet spectari distinctio inter potentiam ordinatam & absolutam? In personis habentibus potestatem legislativam, e. g. in Regibus.*

37. *Quid ergò Rex dicitur agere per potentiam ordinatam? Quod agit juxta legem positivam à se constitutam.*

38. *Da exemplum. Cùm furem juxta legem suam suspendi jubet.*

39. *Quid Rex agere dicitur per potentiam absolutam? Quod agit præter vel contra legem positivam à se constitutam.*

40. *Da*

40. *Da exemplum.* Cùm furis patibulum meriti vitæ parcat.

41. *Quenam est posterior divisio potentia?* Potentia est vel proxima vel remota.

42. *Quid est potentia proxima?* Quæ immediatè potest deduci in actum.

43. *Da exemplum.* Talis potentia est in farinâ, ut inde fiat panis.

44. *Quid est potentia remota?* Quæ non nisi mediatè, (h.e. interveniente uno aut aliis pluribus actibus,) potest deduci in actum.

45. *Da exemplum.* Talis potentia est in tritico ut inde fiat panis: oportet enim priùs fieri farinam.

46. *Quomodo actus & potentia sunt affectio entis?* In concreto, non verò in abstracto.

47. *Declara.* Non enim dico: omne ens est actus vel potentia; sed sic: omne ens est vel actuale vel potentiale, seu quod idem est, omne ens est vel actu vel potentiâ.

48. *Quid est ens actuale?* Quod actu existit extra suas causas.

49. *Da exemplum.* Rosa tempore veris.

50. *Quid est ens potentiale?* Quod actu quidem non existit, potest tamen existere, & continetur in potentia suarum causarum.

51. *Da exemplum.* Rosa tempore hyemis.

52. *Quomodo vocabulum entis in hac distributione accipitur?* Tàm latè, ut comprehendat etiam ens rationis possibile.

CAP.

De Principio & Principiato.

1. **Q**uot modis sumitur vocabulum principii?  
Duobus: latè & strictè.
2. *Quomodo strictè?* Ut significet idem quod causa, (de quâ cap. seq.)
3. *Quomodo latè?* Ut latius pateat quàm causa.
4. *Declara.* Juxta hunc sensum omnis quidem causa est principium, sed non omne principium est causa.
5. *Proba hoc per exemplum.* Aurora est principium diei, sed non est causa diei.
6. *Quenam acceptio est bujus loci?* Lata.
7. *Quenam igitur est prima divisio principii?*  
Principium est vel causale, vel non causale.
8. *Quid est principium causale?* Quod ita est principium, ut simul habeat influxum causalem.
9. *Da exempla.* Sic materia & forma sunt principia corporis naturalis in Physicis.
10. *Quid est principium non causale?* Quod ita est principium, ut non simul habeat influxum causalem.
11. *Da exemplum.* Sic privatio est principium corporis naturalis in Physicis.
12. *Recita aliam divisionem principii.* Principium est vel essendi, vel fiendi, vel cognoscendi.
13. *Unde desumpta est hac divisio?* Ex definitione Aristotelis.

B

14. Quo-

14. *Quomodo verò hic definiēbat?* Principium est, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.

15. *Quid est principium essendi?* Unde res dependet in esse.

16. *Da exemplum.* Talia principia sunt materia & forma in Physicis.

17. *Quid est principium fiendi?* Unde res dependet in fieri.

18. *Da exemplum.* Tale principium est privatio in Physicis.

19. *Quid est principium cognoscendi?* Unde res cognoscitur.

20. *Quotuplex est principium cognoscendi?* Duplex: incomplexum & complexum.

21. *Quid est principium cognoscendi incomplexum?* Medius terminus in Syllogismo.

22. *Quid est principium cognoscendi complexum?* Propositio major vel minor in syllogismo, quæ continent medium terminum.

23. *Quotuplicia sunt principia complexa?* Duplicita: prima & secunda.

24. *Quotuplicia sunt principia prima?* Iterum duplicia: theoretica & practica.

25. *Da exemplum principii primi theoretici.* Impossibile est idem simul esse & non esse.

26. *Da exempla principii primi practici.* DEUS est colendus. Suum cuiq; tribuendum. Nemo est lædendus.

27. *Quid est principium secundum?* Quod ex primo aliquo probatur seu demonstratur.

28. *Da*

28. *Da exemplum.* Furtum non est faciendum.
29. *Quot sunt requisita principii?* Duo.
30. *Quodnam est prius requisitum?* Ut principium quocunq; modo sit prius principiatio.
31. *Quodnam est posterius?* Ut sit aliqua connexio vel consecutio inter principium & principiatum.
32. *Quot sunt precipue theoremata de principio?* Duo.
33. *Recita prius.* In principiis non datur progressus in infinitum.
34. *Recita posterius.* Principia essendi certo respectu sunt etiam principia cognoscendi.
35. *Quomodo vocatur talis cognitio?* A priori.
36. *Quomodo autem vocatur cognitio, quæ non fit per principia essendi, sed per principiatum?* A posteriori.
37. *Da exemplum cognitionis à posteriori.* Cùm DEUM cognosco ex creaturis.

## CAPUT X.

De causa & causato  
in communi.

1. *Quotnam sunt notabilia de causâ in genere?*  
Tria: (1) Divisio generalis. (2) Correlatum causæ. (3) Distinctiones generales.
2. *Quenam est divisio generalis causarum?* Causæ sunt vel externæ, vel internæ.
3. *Quenam cause sunt externæ?* Efficiens & finis.
4. *Quenam cause sunt internæ?* Materia & forma.
5. *Quid est causa efficiens?* A quâ res est.

B 2

6. Quid

6. *Quid est finis?* Propter quem res est.
7. *Quid est materia?* Ex quâ res est.
8. *Quid est forma?* Per quam res est.
9. *Da exemplum cause efficientis.* Pistor est causa efficiens, à quâ est panis.
10. *Da exemplum finis.* Nutrimentum hominis est finis, propter quem pinfitur panis.
11. *Da exemplum materie.* Farina est materia, ex quâ fit panis.
12. *Da exemplum forme.* Accidentia illa, quæ per artem introducuntur in farinam, per quæ panis est panis, & ab aliis arte factis distinguitur, sunt forma panis.
13. *Quodnam est correlatum cause?* Causatum.
14. *Quot modis dicitur causatum?* Totidem modis, quot modis dicitur causa.
15. *Quomodo vocatur causatum cause efficientis?* Effectum.
16. *Quomodo vocatur causatum finis?* Id, quod est propter finem.
17. *Quomodo vocatur causatum materie?* Materiatum.
18. *Quomodo vocatur causatum forme?* Formatum.
19. *Suntne quatuor distincta causata, sicuti quatuor sunt distincte cause?* Non, sed unum est causatum, quod tamen quatuor nomina sortitur, pro vario respectu ad quatuor causas.
20. *Declara per exemplum.* Idem panis respectu pistoris vocatur effectum; respectu finis sui, id

id quod est propter finem; respectu farinae materi-  
riatum ejus; & respectu formæ suæ formatum.

21. *An solum tale causatum dicitur esse propter finem?* Non; sed etiam media dicuntur esse propter finem, seu causata finis.

22. *Quid vocas media?* Actiones, vel alia hujusmodi, quæ inserviunt causæ efficienti ad attingendum finem.

23. *Da exemplum.* Calefactio furni est medium, quò utitur pistor ad efficiendum panem.

24. *Quot sunt præcipuè generales distinctiones causarum?* Sex.

25. *Quare vocantur generales?* Etsi maximè referuntur ad causam efficientem: tamen aliis etiã causarum generibus applicari utcunqve possunt.

26. *Quanam est prima distinctio?* Causa vel est vera, vel causa sine quâ non.

27. *Quid est causa vera?* Quæ verè est aliquid ex quatuor supra enumeratis causarum generibus.

28. *Quid est causa sine quâ non?* Quæ non quidem est vera causa, sed habetur tamen ab imperitis pro causâ, tantùm ideò, quia sine eâ non erat effectus.

29. *Da exemplum cause sine quâ non.* Fingo quòd pater aliquis mittat filium in forum, si contingat filium labi in plateâ, pater dici potest causa sine quâ non hujus lapsionis in platea.

30. *Quare?* Quia si non misisset filium, sed continuisset eum domi, filius non fuisset lapsus in platea.

31. *Quidnam prætereà refertur ad causam sine quâ non?* Omne illud, sine quo effectus aliquis vel esse non potuit, vel saltem non fuit, etiamsi id non sit vera causa.

32. *Da exempla.* Locus & tempus sunt causæ, sine quibus in rebus humanis nihil fieri potest.

33. *Qualis est hæc distinctio?* Est distinctio æquivoci in sua æquivocata.

34. *Quanam est secunda distinctio?* Causa est vel actu vel potentiâ.

35. *Quid est causa actu?* Quæ actu influit in effectum.

36. *Quid est causa potentiâ?* Quæ non quidem actu influit in effectum, habet tamen influendi potentiam.

37. *Da exemplum ex genere causæ efficientis.* Nos, qui jam actu loquimur vel scribimus, sumus locutionis vel scriptionis causæ actuales; quando verò dormimus, sumus horum effectuum causæ potentiales.

38. *Da exemplum ex genere causæ finalis.* Thesaurus absconditus est finis actualis respectu ejus, qui habet notitiam illius thesauri absconditi & illum concupiscit; respectu ejus autem, qui planè ignorat illum thesaurum, & consequenter eum non concupiscit, est finis potentialis.

39. *Da exemplum ex genere causæ materialis.* Aurum, quod est in poculo aureo, est materia actualis illius poculi aurei; aurum verò adhuc inelaboratum & rude, est materia talis poculi potentialis.

40. *Da*



40. *Da exemplum ex genere causæ formalis.* Dum homo vivit, anima est ejus forma actualis; cum verò mortuus est homo, anima ab ejus corpore separata est forma illius potentialis.

41. *Quanam est tertia distinctio causæ?* Causa est vel totalis vel partialis.

42. *Quid est causa totalis?* Cum quâ nulla alia concurrat ejusdem ordinis in eodem genere.

43. *Quid est causa partialis?* Cum quâ alia causa concurrat ejusdem ordinis in eodem genere.

44. *Da exemplum causæ totalis, ex genere causæ efficientis.* Cum unus equus solus trahit currum.

45. *Da exemplum causæ partialis ex genere causæ efficientis.* Quando duo equi simul trahunt currum, tum quilibet equus dicitur tantum causa partialis.

46. *Possunne etiam dicere pistorem & farinam esse causas partiales panis?* Non.

47. *Quare non?* Quia hæ duæ causæ non sunt in eodem genere.

48. *Ostende.* Pistor enim est in genere causæ efficientis; farina verò in genere causæ materialis.

49. *Possunne dicere, scribam & calamum scriptorium esse causas partiales scriptionis?* Ne hoc quidem.

50. *Sed sunt tamen hæ duæ causæ in eodem genere causæ efficientis.* Fateor, sed non sunt in eodem ordine.

51. *Ostende.* Scriba enim est causa efficiens principalis, calamus scriptorius verò est causa efficiens instrumentalis.

52. *Quomodo aliàs vocatur totalis causa à quibusdam?* Causa solitaria.
53. *Quomodo aliàs vocatur partialis causa à quibusdam?* Causa socia.
54. *Quanam est quarta distinctio?* Causa est vel remota, vel proxima.
55. *Quomodo aliàs vocatur proxima?* Immediata.
56. *Quomodo aliàs vocatur remota?* Mediata.
57. *Quid est causa proxima seu immediata?* Inter quam & effectum non intercedit alia causa ejusdem generis.
58. *Quid est causa remota seu mediata?* Inter quam & effectum intercedit alia causa ejusdem generis.
59. *Da exemplum utriusq; ex genere cause efficientis.* Si herus jubeat famulum calefacere hypocaustum, herus est causa mediata, famulus verò causa immediata.
60. *Da exemplum utriusq; ex genere cause materialis.* Ex frumento fit farina, ex farinâ fit panis. Frumentum ergò respectu panis est materia remota, farina verò est materia proxima.
61. *Quanam est quinta distinctio?* Causæ sunt vel subordinatæ, vel non subordinatæ.
62. *Quid sunt cause subordinatæ?* Quarum una in causando dependet ab alterâ.
63. *Quid sunt cause non subordinatæ?* Quarum una in causando non dependet ab alterâ.
64. *Da exemplum causarum subordinatarum.* Sic creatura in agendo dependet à DEO; causa instrumentalis à principali.
65. *Qvo-*

65. *Quomodo vocatur creatura, cum DEO subordinatur? Vocatur causa secunda; DEUS autem vocatur causa prima.*

66. *Da exemplum causarum non subordinatarum. Duo equi simul trahentes currum unum.*

67. *Da aliud exemplum. Duo equi, quorum uterque trahit currum peculiarem.*

68. *Quenam est sexta & ultima distinctio? Causa est vel universalis vel particularis.*

69. *Quid est causa universalis? Quæ universaliter ad omnes effectus concurrit.*

70. *Quid est causa particularis? Quæ particulariter ad certum tantum effectum concurrit.*

71. *Da exemplum utriusque causæ ex genere efficientium. DEUS, item cœlum, causæ sunt universales omnium corporum naturalium. Homo verò hominem, rosa rosam generans causæ sunt horum effectuum particulares.*

72. *Quid hic notandum de causis universalibus? Universalitatis ratio alia est in Deo, alia in Cœlo: id quod explicatur in Physicis cap. III. q. 2. & seqq.*

73. *Da exempla causæ universalis & particularis ex genere materiae. Materia prima est omnium corporum naturalium materia universalis; materia verò secunda (v.g. ovum gallinæ) est materia particularis certi corporis (ut pulli gallinacei.)*

## CAP. XI.

## De Materiâ.

1. *Quot modis sumitur vocabulum materiae?*

B 5

Tri-

Tribus modis : pro materiâ nempe vel ex quâ,  
vel in quâ, vel circa quam.

2. *Estne hæc distinctio trium materiæ distinctarum?* Non : sed unius materiæ sumtæ tantum cum respectu triplici.

3. *Quinam sunt illi tres respectus?* Unus ad causam efficientem, alter ad formam, tertius ad effectum seu totum compositum.

4. *Quomodo ergò vocatur materia in respectu ad causam efficientem?* Materia circa quam.

5. *Quare?* Quia causa efficiens versatur circa materiam illam, tanquam circa objectum suum.

6. *Quomodo hinc aliàs vocatur materia circa quam?* Objectum.

7. *Quomodo materia vocatur in respectu ad formam suam?* Materia in quâ.

8. *Quare?* Quia forma existit in materiâ, tanquam in suo subjecto.

9. *Quomodo hinc materia in quâ aliàs vocatur?* Subjectum.

10. *Quomodo vocatur materia in respectu ad effectum suum seu totum compositum?* Materia ex quâ.

11. *Quare?* Quia compositum generatur vel constat ex materiâ, tanquam ex suâ causâ materiali.

12. *Quomodo hinc materia ex quâ aliàs vocatur?* Causa materialis.

13. *Quanam acceptio est propria hujus loci?*  
Hæc ultima.

14. De-

14. *Declara hæc omnia unico exemplo.* Farina in respectu ad pistorem est materia circa quam versatur pistor; in respectu ad formam panis est materia in quâ; in respectu ad panem ipsum est materia ex qua.

15. *Quot sunt præcipuè divisiones materie?*  
Quatuor.

16. *Quenam est prima?* Materia vel est prima, vel secunda.

17. *Quid est materia prima?* Est materia considerata absq, omni formâ.

18. *Ubinam disputatur de materiâ primâ?* In Physicis.

19. *Quid est materia secunda?* Est materia considerata cum certâ illâ formâ, quam actu habet.

20. *Da exemplum materie secunda.* Talis est omnis materia, quæ sensibus percipi potest, e. g. farina.

21. *Quomodo aliàs vocatur materia secunda?*  
Sensibilis.

22. *Quare?* Ob causam dictam, quia sensibus percipi potest.

23. *Quomodo aliàs vocatur materia prima?*  
Intelligibilis.

24. *Quare?* Quia non sensu, sed tantum intellectu percipi potest.

25. *Proba etiam hoc.* Abstractio enim ab omni formâ, quæ fit in materiâ prima, non est opus sensuum, sed intellectûs.

26. *Quæ-*

26. *Quenam est altera divisio?* Materia vel est sensibilis vel intelligibilis.

27. *Annon hæc divisio coincidit cum precedente?* Coincidit quidem quoad sensum hæctenus expositum: verum h.l. alium quendam sensum intendimus.

28. *Quid igitur est materia sensibilis hoc loco?* Materia compositi sensibilis seu corporei.

29. *Da exemplum.* Farina est materia panis.

30. *Quid est materia intelligibilis hoc altero sensu?* Materia compositi intelligibilis seu incorporei.

31. *Da exemplum.* Subjectum & prædicatum sunt materia propositionis etiam in mente hærentis.

32. *Quanam est tertia divisio?* Materia vel est permanens, vel transiens.

33. *Quid est materia permanens?* Est ex quâ aliquid fit salvâ manente hujus materiæ essentiâ.

34. *Quid est materia transiens?* Ex quâ aliquid fit pereunte seu mutatâ hujus materiæ essentiâ.

35. *Da exemplum materiæ permanentis.* Talis materia est aurum, cum ex eô fit poculum aureum.

36. *Quare?* Quia postquam factum est poculum, aurum retinet essentiâ suam. Gold bleibt Gold.

37. *Da exemplum materiæ transeuntis.* Talis materia est farina, cum ex eâ fit panis.

38. *Qua-*

38. *Quare?* Quia postquam factus est panis, farina non retinet suam essentiam. Mehl bleibt nicht Mehl.

39. *Quanam est quarta & ultima divisio?* Materia est vel proxima vel remota.

40. *Declara hanc divisionem.* Declarationem pete ex distinctione quartâ Cap. præcedentis n. 60.

## CAP. XII.

## De Formâ.

1. *Quot modis sumitur vocabulum forme?* Duobus modis: vel pro formâ informante, vel pro formâ assistente.

2. *Quid est formâ informans?* Quæ, si substantialis sit, per unionem physicam cum materiâ efficit unum per se.

3. *Da exemplum.* Sic anima hominis vel bruti est forma hominis vel bruti.

4. *Quid est forma assistens?* Quæ unitur quidem cum aliquo subjecto & dirigit motum ejus, sed, licet sit substantialis, non efficit tamen unum per se cum illo subjecto.

5. *Da exempla formæ assistentis?* Sic eqves est forma assistens equi; nauta est forma assistens navis; auriga est forma assistens currûs.

6. *Quanam forma est hujus loci?* Informans.

7. *Quot sunt præcipuè divisiones formæ?* Tres.

8. *Quanam est prima divisio?* Forma est vel substantialis, vel accidentalis.

9. *Quid*

9. *Quid est forma substantialis?* Quæ cum suo subjecto efficit concretum substantiale.

10. *Quid est forma accidentalis?* Est abstractum alicujus accidentis, quod cū suo subjecto efficit concretum accidentale.

11. *Da exemplum formarum substantialium.* Tales formas habent omnes substantiæ corporeæ, v.g. Cœlum, stella, ignis, metallum, lapis, planta, brutum, homo.

12. *Da exempla formarum accidentalium.* Longitudo, color, albedo, paternitas.

13. *Quotuplex est forma substantialis?* Duplex: materialis & immaterialis.

14. *Quid est forma materialis?* Quæ à materiâ dependet, ita ut naturaliter extra eam esse non possit.

15. *Da exemplum.* Forma bruti.

16. *Quid est forma immaterialis?* Quæ citrà materiam subsistere apta est.

17. *Da exemplum.* Talis inter formas corporum naturalium sola est anima rationalis.

18. *Quanam est secunda divisio formæ?* Forma est vel totalis vel partialis.

19. *Quid est forma totalis?* Quæ informat totum corpus.

20. *Quid est forma partialis?* Quæ informat partem corporis.

21. *Da exemplum formæ totalis.* Anima rationalis, quæ informat totum corpus humanum.

22. *Da*



22. *Da exemplum formæ partialis.* Forma carnis, forma ossis, forma oculi &c.

23. *Quanam est tertia divisio?* Forma est vel generica, vel specifica.

24. *Quid est forma generica?* Quæ effertur termino generico.

25. *Quid est forma specifica.* Quæ effertur termino specifico.

26. *Da exemplum formæ generica.* Color.

27. *Da exemplum formæ specifica.* Albedo.

28. *Quot sunt theoremata de forma.* Duo.

29. *Recita primum.* Forma dat rei esse, distinguvi & operari.

30. *Recita secundum.* Forma est principium activum; materia est principium passivum.

## CAP. XIII.

## De causâ efficiente.

1. *Quot sunt divisiones causæ efficientis?* Quatuor.

2. *Quanam est prima divisio?* Causa efficiens est vel principalis, vel instrumentalis.

3. *Quid est causa efficiens principalis?* Quæ influit in effectum virtute non ignobiliore, quàm quæ ad producendum effectum requiritur.

4. *Quid est causa efficiens instrumentalis?* Quæ influit in effectum virtute ignobiliore, quàm quæ ad producendum effectum requiritur.

5. *Da exemplum causæ efficientis principalis.* Faber respectu operis quod efficit.

6. *Da*

6. *Da exemplum causæ efficientis instrumentalis.*  
Malleus fabri in isto opere.
7. *De quânam causâ intelligendus est canon: Effectus non est nobilior suâ causâ? De causâ principali,*
8. *Quot sunt subdivisiones causæ principalis?*  
Duæ.
9. *Quenam est prior? Causa principalis est vel prima, vel secunda.*
10. *Quid est causa prima? Quæ à nullo dependet, ab ipsâ verò dependent alia omnia.*
11. *Da exemplum talis causæ.* Talis causa est solus DEUS.
12. *Quid est causa secunda? Quæ à causâ prima dependet.*
13. *Da exemplum causæ secundæ.* Tales causæ sunt omnes reliquæ principales, quotquot sunt præter DEUM.
14. *Quenam est altera subdivisio causæ principalis? Causa principalis est vel univoca, vel æquivoca.*
15. *Quid est causa univoca? Quæ est ejusdem speciei infimæ cum suo effectu.*
16. *Quid est causa æquivoca. Quæ non est ejusdem speciei infimæ cum suo effectu.*
17. *Da exemplum causæ univocæ.* Homo generans hominem.
18. *Da exemplum causæ æquivocæ.* Faber efficiens mensam.
19. *Quenam est secunda divisio causæ efficientis?*  
Causa

Causa efficiens est vel naturalis, vel libera seu voluntaria.

20. *Quid est causa naturalis?* Quæ agit per potentiam naturalem.

21. *Quid est causa libera seu voluntaria?* Quæ agit per potentiam liberam.

22. *Da exemplum cause naturalis.* Ignis quando urit.

23. *Da exemplum cause libera seu voluntaria.* Homo, quando liberè ambulat.

24. *Quenam est tertia divisio?* Causa est vel physica, vel moralis.

25. *Quid est causa physica?* Quæ producit effectum per influxum physicum.

26. *Quid est causa moralis?* Quæ producit effectum per influxum moralem.

27. *Da exemplum cause physica.* Carnifex, cum facinorosum capite plectit.

28. *Da exemplum cause moralis?* Judex, qui sententiam dicit capitalem, & carnifici officium suum mandat, etsi manum non admoveat ipse.

29. *Quenam est quarta divisio?* Causa efficiens est vel per se, vel per accidens.

30. *Quidnam est causa efficiens per se?* Quæ effectum producit per se.

31. *Quid est causa efficiens per accidens?* Quæ effectum producit per accidens.

32. *Quotuplex est causa per accidens?* Duplex: aut enim habet quidem influxum per se physicum, sed agit absque influxu morali; aut habet

C

in.

influxum per se moralem, sed absque influxu physico.

33. *Da exemplum causa per accidens, quæ agit physicè quidem per se, sed absq; influxu morali.* Si quis fodiens agrum præter omnem intentionem suam inveniat thesaurum.

34. *Quomodo vocatur talis causa per accidens?* Causa per accidens moralis.

35. *Da exemplum cause per accidens, quæ agit moraliter quidem per se, sed absque influxu physico.* Tali modo causa per accidens illuminationis est, v.g. ille, qui removet valvas eum in finem, ut lumen solis ingredi possit.

36. *Quomodo vocatur talis causa per accidens?* Causa per accidens physica.

37. *Quid verò si aliqua causa neq; physicè, neq; moraliter influat?* Illa planè non potest dici causa, nisi æquivocè. Solet autem vocari causa sine quâ non, de quâ supra egimus Cap. X. distinct. 1. n. 26.

#### CAP. XIV.

### De Fine.

1. **Q**uot modis sumitur vocabulum finis? Duobus modis: vel pro extremo, vel pro causâ finali.

2. *Quando pro extremo?* Quando significat extremum aliquod, vel terminum ultimum alicujus rei, propter quem tamen res illa non est.

3. *Da exemplum.* Hoc sensu mors dicitur finis vitæ.

4. *Quan-*

4. *Quando pro causa finali?* Quando significat causam, propter quam res est.
5. *Quanam acceptio hujus loci?* Posterior.
6. *Quid igitur est finis?* Finis est causa, quæ movet efficientem ad agendum.
7. *Qualis motus h. l. intelligitur?* Non motus corporeus, & propriè dictus, sed motus spiritalis seu metaphoricus.
8. *Quot sunt præcipuè divisiones finis?* Sex.
9. *Quanam est prima divisio?* Finis est vel ultimus, vel intermedius.
10. *Quomodo aliàs vocatur finis intermedius?* Subordinatus.
11. *Quid est finis ultimus?* Propter quem sunt fines intermedii.
12. *Quid est finis subordinatus seu intermedius?* Qui est propter finem ultimum.
13. *Da exemplum finis ultimi.* Sanitas est finis ultimus artis medicæ.
14. *Da exemplum finis intermedii.* Expulsio pravorum humorum est finis intermedius in arte medicâ.
15. *Quotuplex est finis ultimus?* Duplex: ultimus simpliciter, & ultimus in certo genere.
16. *Quinam finis est ultimus simpliciter?* Solus DEUS.
17. *Quare?* Quia & DEUS est propter seipsum, & omnes creaturæ unâ cum omnibus operationibus suis sunt propter gloriam DEI.

18. *Da exemplum finis in certo genere ultimi.* Tale exemplum modò dedimus de sanitate.

19. *Quanam est secunda divisio?* Finis est vel principalis, vel minùs principalis.

20. *Quid est finis principalis?* Propter quem quis agit ita, ut etsi nullum alium finem sibi haberet propositum, tamen ageret.

21. *Quid est finis minùs principalis?* Propter quem quis ita agit, ut si nullum alium finem sibi haberet propositum, non ageret.

22. *Quanam est tertia divisio?* Finis est vel objectivus vel formalis.

23. *Quid est finis objectivus?* Est objectum, circà quod versatur actio.

24. *Quid est finis formalis?* Est actio ipsa circà illud objectum.

25. *Da exemplum finis utriusq.* Ultimus finis hominis objectivus est Deus ipse; formalis verò est beatifica DEI visio.

26. *Quanam est quarta divisio?* Finis est vel efficiendus, vel obtinendus.

27. *Quid est finis efficiendus?* Quem, cùm nondum existat actu, causa efficiens vult producere.

28. *Da exemplum.* Sanitas, quam in ægroto nondum existentem, vult producere Medicus.

29. *Quid est finis obtinendus?* Res actu jam existens, quatenus causa efficiens vult eam obtinere, vel acquirere sibi.

30. *Da exemplum.* Cùm aliquis agrum jam existentem vult acquirere sibi, ut ejus fiat Dominus.

31. *QVA-*

31. *Quanam est quinta divisio?* Finis est vel internus, vel externus.

32. *Quid est finis internus?* Qui est in potestate artificis.

33. *Quid est finis externus?* Qui non est in potestate artificis, ita, ut si fine illo excidat, non statim amittat nomen boni artificis.

34. *Da exemplum finis utriusq.* In arte medicâ, finis internus est præscriptio medicamentorum, externus verò sanitas.

35. *Quanam est sexta divisio?* Finis est vel cuius, vel cui.

36. *Quid est finis cuius?* Est forma quædam, cuius efficiendæ gratiâ agit causa efficiens.

37. *Quid est finis cui?* Est subjectum, cui per illam formam inservitur.

38. *Da exemplum finis utriusq.* In arte medicâ finis cuius est sanitas; finis verò cui est ægrotus.

39. *Dic theorema de fine.* Finis est primum in intentione, & ultimum in executione.

## CAP. XV.

## De Necessario &amp; Contingenti.

1. *Quot modis sumitur necessarium & contingens?* Duobus modis: vel in sensu Logico vel in sensu Metaphysico.

2. *Quomodo in sensu Logico?* Quatenus est affectio propositionis.

C 3

3. Quo-

3. *Quomodo in sensu Metaphysico? Quatenus est affectio entis.*

4. *Quotuplex ergo est propositio secundum hanc affectionem? Quadruplex: necessaria, impossibilis, possibilis & contingens. Vide Erotem. Log. cap. XXII.*

5. *Quotuplex est ens juxta hanc affectionem? Duplex: necessarium & contingens.*

6. *Quare hic omittis possibile & impossibile? Quia per hæc duo non dividitur ens reale seu actu existens, sed ens rationis, seu non ens, (Respice ad cap. II. n.4.)*

7. *Quid est ens necessarium? Quod ita existit, ut non possit non existere, e.g. DEUS.*

8. *Quid est ens contingens? Quod ita existit, ut possit non existere, e.g. creatura.*

9. *Quomodo aliàs vocatur ens necessarium? Necessarium incomplexum.*

10. *Quomodo aliàs vocatur propositio necessaria? Necessarium complexum.*

11. *Quot sunt divisiones propositionis necessaria? Duæ.*

12. *Quenam est prima? Propositio est vel absolute necessaria, vel secundum quid necessaria.*

13. *Quid est propositio absolute necessaria? Quæ ita est vera, ut ne quidem à DEO possit reddi falsa. e.g. homo est rationalis.*

14. *Quare talis propositio non potest à DEO reddi falsa? Quia contradictoria ejus implicat contradictionem.*

15. *Quid*



15. *Quid est propositio secundum quid necessaria?* Quæ ita est vera, ut non possit reddi falsa per potentiam naturæ, licet possit falsa reddi per potentiam DEI: e. g. Sol movetur.

16. *Semperne propositio absolutè necessaria opponitur propositioni secundum quid necessaria?* Non, sed interdum etiam opponitur propositioni necessariae ex hypothese.

17. *Quomodo aliàs vocatur propositio necessaria ex hypothese?* Propositio necessaria ex suppositione; item necessaria necessitate hypotheticâ vel suppositionis.

18. *Quid est propositio necessaria ex hypothese?* Quæ in se quidem est contingens, posito tamen aliquo, fit necessaria, e. g. Petrum progredi, in se quidem est contingens: posito tamen, quòd ipse currat, necessarium quoque est ipsum progredi.

19. *Quenam est altera divisio?* Propositio necessaria vel habet necessitatis suæ causam, vel non habet.

20. *Quenam propositiones non habent necessitatis suæ causam?* Propositiones necessariae, quæ simul sunt indemonstrabiles.

21. *Quomodo vocantur tales propositiones?* Principia prima. e. g. Impossibile est idem simul esse & non esse.

22. *Quenam propositiones habent necessitatis suæ causam?* Quæ possunt demonstrari per aliquam causam.

23. *Quotuplices sunt tales propositiones?* Qua-

druplices: vel enim demonstrantur per causam, efficientem, vel per materiam, vel per formam, vel per finem.

24. *Da exemplum propositionis necessariae ex parte cause efficientis.* Hâc hora est dies, quia Sol est suprâ horizontem.

25. *Da exemplum propositionis necessariae ex parte materiae.* Culter est durus, quia est ferreus.

26. *Da exemplum propositionis necessariae ex parte formae.* Homo vivit, quia habet animam.

27. *Da exemplum propositionis necessariae ex parte finis.* Petrus necessario studet, quia cupit evadere doctus.

28. *Dic theorema de necessario.* Omne quod est, quando est, necesse est esse, sc. si non necessitate absolutâ, saltem hypotheticâ.

## CAP. XVI.

## De simplici &amp; composito.

1. *Q*uodnam est fundamentum simplicitatis & compositionis? Unitas.

2. *Declara.* Unum enim indivisibile vocatur simplex, unum verò divisibile vocatur compositum. (Respice ad cap. IV. n. 6.)

3. *Q*uid ergò est compositum? Est ens, quod dividi potest in ea, ex quibus componitur.

4. *Q*uid est simplex? Est ens, quod dividi non potest, eò ipsò, quia non est compositum.

5. *Da exemplum entis simplicis.* DEUS.

6. *Da exemplum entis compositi.* Creatura.

7. *Quot*

7. *Quot modis considerari potest ens compositum?*  
 Duobus modis: vel quatenus opponitur simplici, vel quatenus opponitur partibus componentibus.

8. *Quomodo opponitur simplici?* Privativè vel contrariè.

9. *Quomodo opponitur partibus?* Relativè.

10. *Quomodo vocatur, quatenus opponitur partibus?* Totum.

11. *Quotuplex est compositio?* Duplex, realis & rationis.

12. *Quid est compositio realis?* Cujus extrema sunt (1) realis, (2) realiter à se distincta, e.g. compositio ex materiâ & formâ.

13. *Quid est compositio rationis?* Cujus extrema non sunt realiter distincta, sed tantùm à ratione seu intellectu distincta concipiuntur.

14. *Quotuplex est compositio realis?* Quadruplex: (1) ex materiâ & formâ, (2) ex partibus integrantibus, (3) ex gradibus secundùm intensiorem, (4) ex essentiâ & subsistentiâ.

15. *Ubinam locum habet compositio ex materiâ & formâ?* In substantiis corporeis.

16. *Ubinam locum habet compositio ex partibus integrantibus?* In materiâ, & consequenter etiam in substantiis corporeis.

17. *Quomodo vocatur compositum ex materiâ & formâ?* Totum essentialè.

18. *Quomodo vocatur compositum ex partibus integrantibus?* Totum integrale.

19. *Ubinam locum habet compositio ex gradibus per intensiorem?* In qualitatibus, quæ possunt intendi & remitti.

20. *Da exemplum.* Pono calorem esse octo graduum: erigitur compositus ex octo gradibus intensiorem.

21. *Ubinam locum habet compositio ex essentiâ & substantiâ?* In substantiis creatis.

22. *Unde probatur, hanc compositionem in creaturis esse realem?* Probant hoc Theologi ex doctrinâ de Personâ Christi.

23. *Quot modis ens dicitur simplex?* Duobus modis: absolutè, & in certo genere.

24. *Quid est ens absolutè simplex?* Quod nullo genere compositionis realis compositum est.

25. *Quid est ens in certo genere simplex?* Quod certo quidem genere compositionis realis caret, est tamen compositum alio genere.

26. *Quodnam ens est absolutè simplex?* Solus DEUS.

27. *Quare?* Quia neque est compositus ex materiâ & formâ, neque ex partibus integrantibus, neque ex gradibus, neque ex essentiâ & subsistentiâ.

28. *Da exemplum entis in certo genere simplicis?* Angelus.

29. *Quare hoc ita est?* Quia tametsi Angelus non est compositus ex materiâ, item ex partibus integrantibus: tamen est compositus ex essentiâ & subsistentiâ.

## De Toto.

1. **Q**uot modis sumitur totum? Duobus modis: quatenus sc. opponitur vel mutilo, vel partibus.
2. *Quinam sensus est hujus loci?* Posterior.
3. *Quid est totum hoc sensu?* Quod habet partes.
4. *Quid est pars?* Quæ continetur à toto.
5. *Quot sunt requisita totius?* Duo.
6. *Quodnam est prius?* Ut adsit aliqua multitudo partium.
7. *Quare hoc requiritur?* Quia omne totum est quoddam compositum & divisibile.
8. *Quodnam est posterius?* Ut illæ partes sint unitæ.
9. *Quare hoc requiritur?* Quia omne totum est aliquid unum atq; actu indivisum.
10. *Quotuplex est totum?* Duplex propriè dictum, & impropriè dictum.
11. *Quid est totum propriè dictum?* Quod habet hæc duo requisita, ut (1) partes ejus sint inter se realiter distinctæ: & (2) coëant in unum per se.
12. *Quid est totum impropriè dictum?* Cui unum vel alterum ex his duobus requisitis deest.
13. *Quotuplex est totum propriè dictum?* Duplex: Essentiale & integrale.
14. *Quid est totum essentiale?* Quod habet partes essentielles.

15. *Quæ*

15. *Quenam sunt partes essentielles?* Nonnisi duæ: nempe materia & forma.

16. *Quot ergò sunt requisita totius essentialis?* Duo.

17. *Quodnam est prius?* Ut habeat partes nonnisi duas.

18. *Quodnam est posterius?* Ut illarum partium duarum altera sit materia, altera forma.

19. *Quid est totum integrale?* Quod habet partes integrales.

20. *Quenam partes sunt integrales?* Quæ coherent non per modum materiæ & formæ, sed per modum continuitatis, vel contiguitatis, aut colligationis.

21. *In quot partes dividitur totum aliquod integrale?* Interdum in duas tantùm, interdum verò etiam in plures, quæ alicubi possunt esse valdè multæ.

22. *Da exemplum totius essentialis.* Homo, cum dividitur in animam & corpus, tanquàm formam & materiam.

23. *Da exemplum totius integralis.* Corpus humanum, cum dividitur in tres ventres & artûs.

24. *Quotuplex est totum integrale?* Duplex: simile & dissimilare.

25. *Quid est totum simile?* Cujus partes sunt ejusdem rationis seu essentiæ.

26. *Quid est totum dissimilare?* Cujus partes sunt diversæ rationis seu essentiæ.

27. *Da exemplum totius similis?* Aurum, quia

quia partes ejus omnes habent eandem essentiam ac definitionem.

28. *Da exemplum totius dissimilariis.* Corpus humanum, quia aliam essentiam ac definitionem habet caput, aliam thorax, aliam abdomen, aliam manus, aliam pedes.

29. *Quotuplex est totum improprie dictum?* Quadruplex: universale, numerale, potentiale & perfectionale.

30. *Quodnam totum vocatur universale?* Omne genus respectu suarum specierum, & omnis species respectu suorum individuorum.

31. *Quanam sunt partes totius universalis?* Species multae respectu sui generis, & individua multa respectu suae speciei.

32. *Quomodo vocantur haec partes totius universalis?* Partes subjectivae.

33. *Quare totum hoc est improprie tale?* Quia partes ejus, extra intellectum non habent unionem per se.

34. *Quodnam totum vocatur numerale?* Numerus respectu multarum rerum numeratarum.

35. *Quare hoc totum est improprie tale?* Quia partes ejus, quatenus sunt numerales, similiter extra intellectum non habent unionem per se.

36. *Quomodo aliàs vocatur totum potentiale?* Totum potestativum.

37. *Quomodo totum vocatur potentiale seu potestativum?* Ens aliquod, quod habet multas potentias.

38. *Da*

38. *Da exemplum.* Anima rationalis, quæ habet potentiam intelligendi & volendi.

39. *Quare totum hoc est improprie tale?* Quia partes ejus, quatenus sunt potentiales, inter se non sunt realiter distinctæ, sed differunt tantum modis concipiendi.

40. *Quodnam totum vocatur perfectionale?*  
DEUS.

41. *Quare?* Quia habet multas, imò infinitas perfectiones.

42. *Quare hoc totum est improprie tale?* Quia etiam hujus partes inter se realiter non differunt.

## CAP. XVIII.

## De Eodem &amp; Diverso.

1. **U** *Binam locum habet identitas & diversitas?*  
In entibus multis, vel etiam in conceptibus aut vocabulis multis.

2. *Quomodo?* Si illa entia, conceptus, aut vocabula in uno aliquo tertio conveniunt, vocantur eadem; sin autem in aliquo tertio disconveniunt, vocantur diversa.

3. *Da exemplum.* Petrus & Paulus conveniunt in specie infimâ hominis; disconveniunt autem numero. Dicuntur ergò eadem specie, diversa verò numero.

4. *Quotuplex est identitas entium multorum?*  
Duplex: essentialis & accidentalis.

5. Quo.



5. *Quotuplex est identitas essentialis?* Duplex: generica & specifica.

6. *Quid est identitas generica?* Secundum quam multa entia conveniunt in ratione unius generis.

7. *Da exemplum.* Homo & brutum sunt idem genere, scilicet animalis.

8. *Quid est identitas specifica?* Secundum quam multa entia conveniunt in ratione unius speciei.

9. *Da exemplum.* Petrus & Paulus sunt idem specie, scilicet hominis.

10. *Quotuplex est identitas accidentalis?* Duplex: una quæ convenit multis substantiis respectu unius accidentis; altera quæ convenit multis accidentibus respectu unius substantiæ.

11. *Quotuplex est identitas multarum substantiarum respectu ejusdem accidentis?* Duplex: similitudo & æqualitas.

12. *Quid est similitudo?* Est identitas, secundum quam multæ substantiæ conveniunt in eadem qualitate.

13. *Da exemplum.* Duo canes albi dicuntur sibi similes propter albedinem.

14. *Quid est æqualitas?* Est identitas, secundum quam multæ substantiæ conveniunt in eadem quantitate.

15. *Da exemplum.* Duo baculi tricubitales dicuntur sibi esse æquales per longitudinem.

16. *Quomodo vocatur identitas multorum acci-*  
den-

*dentium respectu unius subjecti? Identitas subjecti.*

17. *Da exemplum.* Dulcedo & albedo, in eodem saccharo dicuntur esse idem subjecto.

18. *Quot modis dicitur diversitas entium multorum? Tot modis quot identitas, nisi quod entia multa habent praeterea diversitatem numericam, cui non potest in multis entibus opponi identitas numerica.*

19. *Declara.* Datur diversitas generica, specifica, numerica, dissimilitudo, inaequalitas, & denique diversitas subjecti.

20. *Quid est diversitas generica? Secundum quam entia multa differunt toto genere.*

21. *Da exemplum.* Homo & albedo differunt genere.

22. *Quid est diversitas specifica? Secundum quam multa entia differunt specie.*

23. *Da exemplum.* Petrus & Bucephalus differunt specie.

24. *Quid est diversitas numerica? Secundum quam multa entia differunt numero.*

25. *Da exemplum.* Petrus & Paulus differunt numero.

26. *Nonne etiam datur identitas numerica? Datur in conceptibus vel vocabulis multis, non verò in entibus multis.*

27. *Quare non in entibus multis? Quia si entia multa essent unum numero, non essent multa.*

28. *Da exemplum conceptuum multorum, quae significant unum numero.* Conceptus Petri pueri & Pe-

Petri senis significant Petrum in pueritiâ & senectute suâ numero eundem.

29. *Quid est dissimilitudo?* Est diversitas, secundum quam substantiæ multæ habent qualitates specie diversas.

30. *Da exemplum.* Canis albus & canis niger sunt sibi dissimiles.

31. *Quid est inæqualitas?* Est diversitas, secundum quam substantiæ multæ habent quantitates impares.

32. *Da exemplum.* Duo baculi, quorum unus est bicubitalis, alter tricubitalis, sunt sibi inæquales.

33. *Quid est diversitas subjecti?* Est diversitas, secundum quam multa accidentia sunt in diversis subjectis.

34. *Da exemplum.* Albedo, quæ est in saccharo, & albedo, quæ est in lacte, differunt subjectis.

35. *Quomodo præterea dividitur diversitas?* Alia est sine pugnâ, alia cum pugnâ.

36. *Quomodo vocatur diversitas sine pugnâ?* Distinctio.

37. *Quomodo vocatur diversitas cum pugnâ?* Oppositio.

38. *Quomodo intelligis canonem: Simile non est idem?* Sensus est: quæ sibi sunt similia in aliquo accidente, illa non statim sunt eadem quoad essentiam. Item: Quæ conveniunt in uno tertio, ea non statim conveniunt omnibus modis.

## De Distinctione.

1. **Q**uid est distinctio? Distinctio est actus intellectus, secundum quem in multis conceptibus ille distingvit unum ab altero.
2. **Q**uotuplex est distinctio? Duplex, realis & rationis.
3. **Q**uid est distinctio realis? Secundum quam intellectus distingvit duos conceptus, quibus extra mentem etiam respondent duæ res.
4. **D**a exemplum. Sic distingvimus Petrum à Paulo.
5. **Q**uid est distinctio rationis? Secundum quam intellectus distingvit duos conceptus, quibus extra mentem non respondent duæ res, sed una tantum eademque.
6. **D**a exemplum. Sic distingvimus Petrum senem à seipso Juvene, cum tamen Petrus in se sit unicus tantum.
7. **Q**uotuplex est distinctio realis? Duplex: nempe realis strictè dicta, & modalis.
8. **U**binam locum habet realis strictè dicta? Inter rem & rem, e.g. inter Petrum & Paulum.
9. **U**binam locum habet modalis? Inter rem & modum rei, e.g. inter Petrum & sessionem ejus.
10. **Q**uidnam hîc vocatur modus rei? Cujus esse in hoc consistit, ut afficiat actu rem aliquam singularem, (sicut sessio Petri afficit Petrum,) eiq; quasi

quasi affixum ita sit, ut nec per potentiam DEI possit existere sine illâ re singulari, tamen si res ipsa singularis possit existere sine illo modo.

11. *Quonam reducis distinctionem, quæ est inter ens & non ens, e.g. inter Petrum & non Petrum?*  
Ad distinctionem realem.

12. *Quare?* Quia illud, quod vocabulo non Petri significatur, est vel res à Petro realiter distincta, vel modus Petri, qui & ipse sensu lato realiter distinguitur à Petro.

13. *Quodnam est præcipuum signum distinctionis realis?* Actualis separatio essentiarum.

14. *Declara.* Quorum essentia actu sunt separata, illa ipsa sunt realiter distincta.

15. *Quo modis duæ res possunt actu separari?*  
Duobus modis.

16. *Quinam est prior modus?* Si utraqve res post actum separationis existat seorsim.

17. *Da exemplum.* Sic post mortem hominis seorsim existit corpus, seorsim anima.

18. *Quinam est posterior modus?* Si post actum separationis una quidem res seorsim existat, sed altera non existat, verum redeat in nihilum.

19. *Da exemplum.* Mortuo bruto corpus quidem remanet, sed anima redit in nihilum.

20. *Da aliud exemplum.* Si Petrus post sessionem incipit ambulare, Petrus quidem remanet, sed sessio Petri annihilatur.

21. *Quoruplex est distinctio rationis?* Duplex: rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatae.

22. *Quid est distinctio rationis ratiocinatae?* Quæ habet fundamentum in re extra intellectum.

23. *Quid est distinctio rationis ratiocinantis?* Quæ non habet fundamentum in re extra intellectum, sed tantum in intellectu.

24. *Ubinam locum habet distinctio rationis ratiocinatae?* In unius rei conceptibus diversis, qui manent in re etiam cessante intellectu.

25. *Da exemplum.* Si Petrum eundem concipio jam ut Petrum, jam ut hominem, jam ut animal, jam ut vivum, jam ut corpus, jam ut substantiam: hæc enim omnia insunt Petro etiam nemine cogitante.

26. *Da aliud exemplum.* Sic si DEUM concipio jam ut æternum, jam ut justum, jam ut clementem, jam ut omnipotentem &c.

27. *Ubinam locum habet distinctio rationis ratiocinantis?* In unius entis conceptibus diversis, qui non sunt in ente cessante intellectu, vel à quibus ens denominatur extrinsecè.

28. *Da exemplum.* Si Petrum concipio jam ut subjectum propositionis, jam ut prædicatum; propositio enim ipsa cum partibus suis non est in ente extra intellectum, sed in intellectu.

## CAP. XX.

## De Oppositione.

1. **Q***uid est oppositio?* Est repugnantia aliquorum non permittentium se simul in eodem subjecto respectu ejusdem.

2. Quo-

2. *Quotuplex est oppositio?* Quadruplex: (1) contradictoria, (2) privativa, (3) contraria, (4) relativa.

3. *Ubinam locum habet oppositio contradictoria?* Inter ens & non ens, seu inter puram affirmationem & negationem termini simplicis.

4. *Da exemplum.* Homo non homo.

5. *Quotuplex est contradictio?* Duplex: explicita, & implicita.

6. *Da exemplum contradictionis explicitae.* Homo non homo: sedere non sedere.

7. *Da exemplum contradictionis implicitae.* Ferrum ligneum.

8. *Quomodo aliàs vocatur contradictio implicita?* Contradictio in adjecto.

9. *Ubinam locum habet oppositio privativa?* Inter habitum & privationem.

10. *Da exemplum.* Visus & cœcitas.

11. *Quid est habitus hoc loco?* Est præsentia formæ in subiecto capaci.

12. *Quid est privatio?* Est absentia formæ in subiecto capaci.

13. *Ubinam locum habet oppositio contraria?* Inter duas qualitates positivas se mutuo expellentes ex eodem subiecto.

14. *Da exemplum.* Calor & frigus.

15. *Ubinam locum habet oppositio relativa?* Inter duo relata.

16. *Da exemplum.* Pater & Filius.

17. *Quotuplex est relatio?* Duplex: prædicamentalis & transcendentalis.

18. *Quid est relatio prædicamentalis?* Quæ constituit prædicamentum relationis.

19. *Quid est relatio transcendentalis?* Quæ transcendit prædicamenta, & locum habet in terminis transcendentibus.

20. *Da exemplum.* Talis relatio est inter principium & principiatum.

21. *Quenam oppositio est omnium fortissima?* Contradictoria.

22. *Quare?* Quia non admittit medium.

23. *Declara.* Nullum ens est in totâ rerum natura, quod non sit vel homo, vel non homo: tertium seu medium non datur.

24. *An non etiam ceteræ oppositiones carent medio?* Non carent.

25. *Proba per exemplum, quòd privative opposita admittant medium?* Datur Ens, quod neq; est videns, neq; cœcum, v. g. lapis.

26. *Annon verò lapis est cœcus?* Potest quidem dici non videns, non verò propriè cœcus.

27. *Quare?* Quia cœcitas tanquam privatio non habet locum nisi in subjecto oppositæ formæ capaci. Lapis verò non est capax visionis.

28. *Proba per exemplum, quòd contraria admittant media.* Datur ens, quod neq; est calidum, neq; frigidum, e. g. virtus.

29. *Proba hoc etiam per exemplum de relatione.*

Da-



Datur ens, quod neq; est Pater neq; Filius, e.g. lapis, item virtus.

## CAP. XXI.

## De Universali &amp; Singulari.

1. **Q**uot modis sumitur universale? Duobus modis: vel quatenus est affectio causæ, vel quatenus est affectio entis.

2. *Quomodo vocatur, si est affectio causæ? Universale in causando.*

3. *Quid est universale in causando? Nihil aliud, quam causa universalis.*

4. *Quidnam opponitur causæ universali? Causa particularis.*

5. *Quotuplex est universale, cum est affectio entis? Duplex: complexum & incomplexum: (siquidem & ens interdum distingui solet in complexum & incomplexum.)*

6. *Quid est universale complexum? Propositio universalis.*

7. *Quid opponitur propositioni universali? Propositio particularis, indefinita, & singularis.*

8. *Quid est universale incomplexum? Hoc una definitione exprimi non potest propter æquivocationem hujus termini. Ergò distingvendum est potius.*

9. *Quotuplex igitur est universale incomplexum? Triplex: nempe universale in essendo, in repræsentando, & in prædicando.*

D 4

10. *Quid*

10. *Quid est universale in essendo?* Ens universale, e.g. homo.
11. *Quid est universale in representando?* Conceptus entis universalis, e. g. conceptus hominis,
12. *Quomodo aliàs vocatur universale in representando?* Universale in significando.
13. *Quid est universale in predicando?* Vox entis universalis, e. g. vox homo.
14. *Quomodo aliàs vocatur universale in predicando?* Prædicabile.
15. *Quidnam opponitur enti universali?* Ens singulare, e.g. Petrus.
16. *Quidnam opponitur conceptui universali?* Conceptus singularis, e.g. conceptus Petri.
17. *Quidnam opponitur voci seu termino universali?* Vox seu terminus singularis, e. g. vox Petrus.
18. *Ubinam agitur de propositione universali?* In Logicis, tractatu de propositione.
19. *Ubinam agitur de conceptu seu termino universali?* In Logicis tractatu de Terminis.
20. *Ubinam agitur de causâ universali?* In Metaphysicis cap. de Causis.
21. *Ubinam agitur de ente universali?* In Metaphysicis cap. præsentis.
22. *Quid est ens universale?* Quod secundum unam aliquam rationem multis communicatur seu in multis reperitur.
23. *Da exemplum.* Homo, equus.
24. *Quid est ens singulare?* Quod ita est unum,  
ut

ut secundum eam entis rationem, quia unum esse dicitur, non sit communicabile multis ut inferioribus.

25. *Da exemplum.* Petrus, Bucephalus.

26. *Quomodo aliàs potest describi ens universale?* Quod significatur conceptu vel termino universali.

27. *Quomodo ens singulare?* Quod significatur conceptu vel termino singulari.

28. *Quot sunt requisita entis universalis?* Duo.

29. *Quodnam est prius requisitum?* Universale debet esse aliquid unum.

30. *Quodnam est alterum requisitum?* Universale debet esse in multis singularibus.

31. *Estne universale unum per se, an verò unum per accidens?* Distingvendum est.

32. *Quomodo?* In mente est unum per se; extra mentem est unum per accidens.

33. *Quomodo aliàs vocatur ens singulare?* Individuum.

34. *Quodnam est principium individuationis?* Existencia.

35. *Quare?* Quia quicquid existit, eò ipso quia existit, singulare est.

36. *Ergone universale non existit extra mentem?* Existit materialiter, non existit formaliter & in actu completo.

## De Finito &amp; Infinito.

1. **Q**uid est finitum in genere? Quod habet fines  
eu terminos.
2. *Quid est infinitum in genere? Quod non ha-  
bet fines seu terminos.*
3. *Quot modis sumitur finitum & infinitum?*  
Qvinq; modis potissimum: nempe qvatenus est  
affectio disjuncta vel verbi, vel propositionis, vel  
qvæstionis, vel quantitatis, vel entis.
4. *Ubinam agitur de verbo finito & infinito? In  
Grammaticis.*
5. *Quid est verbum finitum? Quod est modi in-  
dicativi, imperativi, vel conjunctivi.*
6. *Quare vocatur finitum? Quia habet cer-  
tam personam unicam, nempe primam, secun-  
dam vel tertiam.*
7. *Quid est verbum infinitum? Quod est modi  
infinitivi.*
8. *Quare vocatur infinitum? Quia non habet  
certam personam unicam.*
9. *Ubinam agitur de propositione finita & infini-  
ta? In Logicis.*
10. *Quid est propositio finita? Cujus uterq;  
terminus est finitus.*
11. *Quid est propositio infinita? Cujus vel sub-  
jectum; vel prædicatum, vel utrumq; est infini-  
tum.*

12. *Ubi-*

12. *Ubinam agitur de questione finita & infinita?* In Rhetoricis.

13. *Quid est questio finita?* Quæ habet certos fines, i.e. circumstantias.

14. *Quid est questio infinita?* Quæ caret finibus seu circumstantiis.

15. *Ubinam agitur de quantitate finita & infinita?* in Physicis.

16. *Quid est quantitas finita?* Quæ habet fines seu terminos finientes.

17. *Quid est quantitas infinita?* Quæ caret finibus seu terminis finientibus.

18. *Ubinam agitur de ente finito & infinito?* In Metaphysicis hoc loco.

19. *Quodnam ens est infinitum?* Solus DEUS.

20. *Quodnam ens est finitum?* Omnis creatura.

21. *Quot modis DEUS dicitur ens infinitum?* Quatuor modis: nempe ratione (1) essentiali, (2) perfectionis, (3) durationis, (4) presentia.

22. *Quomodo ratione essentiali?* Quatenus habet essentialiam infinitam.

23. *Quomodo ratione perfectionis?* Quatenus habet perfectiones infinitas.

24. *Quomodo ratione durationis?* Quatenus est æternus, i. e. principio & fine carens.

25. *Quomodo ratione presentia?* Quatenus est ubiq; seu omnipræsens.

26. *Quot modis creatura est finita?* Totidem modis.

27. Quo-

27. *Quomodo ratione essentia?* Quatenus habet essentiam finitam.

28. *Quomodo ratione perfectionis?* Quatenus habet perfectiones finitas.

29. *Quomodo ratione durationis?* Quatenus non est æterna.

30. *Quomodo ratione presentia?* Quatenus non est ubique.

31. *Annon angeli & anime humanae sunt æternæ?* Sunt quidem, sed longè aliâ æternitate.

32. *Declara.* Æternitas DEI nec principium habet nec finem; angelorum verò & animarum nostrarum æternitas caret quidem fine, sed habet tamen principium.

33. *Quomodo vocari solet duratio, quæ principio & fine caret?* Æternitas in sensu stricto.

34. *Quomodo vocari solet duratio, quæ fine caret, sed non principio?* Ævum.

35. *Quomodo vocari solet duratio, quæ principium pariter & finem habet?* Tempus.

### CAP. XXIII.

## De Perfecto & Imperfecto.

1. **Q**uot modis sumitur perfectio in *Metaphysicis*?  
Duobus modis, quatenus sc. est affectio entis vel unita, vel disjuncta.

2. *Quomodo ut unita?* Secundùm quam omne ens est perfectum.

3. Quo-

3. *Quomodo ut disjuncta?* Secundum quam aliud ens est perfectum, aliud imperfectum.

4. *Quomodo vocatur perfectio, cum est affectio entis unita?* Transcendentalis seu Metaphysica.

5. *Quomodo vocatur, cum est affectio entis disjuncta?* Hoc non potest uno vocabulo exprimi, cum hoc sensu dicta perfectio sit multiplex. Igitur distingvendum est.

6. *Quotuplex ergo est perfectio, cum sumitur pro affectione entis disjuncta?* Duplex: naturalis nempe, seu physica, & moralis seu ethica. Quibus addere possumus tertio loco & perfectionem artificialem.

7. *Quid est perfectio transcendentalis?* Secundum quam omne ens habet entitatem tanquam perfectionem sibi debitam.

8. *Quid est perfectio naturalis?* Qua rei nihil deest ad bona naturæ: h. e. quod vires naturæ obtinet perfectas.

9. *Quid est perfectio moralis?* Est ipsa virtus moralis, & secundum eam operatio.

10. *Ubinam locum habet perfectio transcendentalis?* In omni ente.

11. *Ubinam locum habet perfectio & imperfectio naturalis?* In substantiis naturalibus.

12. *Ubinam locum habet perfectio & imperfectio moralis?* In substantiis intelligentibus creatis.

13. *Declara hæc omnia per exemplum de homine.* Omnis homo habet perfectionem transcendentalem, etiam infans, etiam ægrotus, etiam im-  
pro-

probus. Viri & valentes habent perfectionem naturalem, quâ carent infantes & ægroti. Probi habent perfectionem moralem, quâ carent improbi.

14. *Quid est perfectio artificialis?* Quâ rei nihil deest ad bona, quæ secundum regulas artis requiruntur.

15. *Ubinam locum habet hæc perfectio?* In rebus arte factis.

16. *Declaraper exempla.* Totus hexameter est versus perfectus; hemistichion hexametri est versus imperfectus. Sic tota domus & omnibus numeris absoluta est ædificium perfectum; inchoata domus ædificium imperfectum.

17. *Quotnam restant distinctiones perfectionis?* Duæ.

18. *Quenam est prior distinctio?* Perfectio vel est simpliciter talis, vel secundum quid.

19. *Quid est perfectio simpliciter talis?* Quæ in suo proprio conceptu importat perfectionem sine imperfectione.

20. *Da exemplum.* Intellectio, Justitia.

21. *Quid est perfectio secundum quid?* Quæ in suo proprio conceptu importat perfectionem cum admixtâ imperfectione.

22. *Da exemplum.* Visio, Auditio.

23. *Quomodo visio vel auditio connotant imperfectionem?* Quatenus connotant naturam corpoream, substantia verò corporea est imperfecta comparatione substantiæ incorporeæ.

24. *Quæ*



24. *Quanam est altera distinctio? Perfectio vel est partium, vel graduum.*

25. *Quid est perfectio partium? Quæ dicit præsentiam omnium partium integantium.*

26. *Quid est perfectio graduum? Quæ dicit excellentiam in gradibus intensiõis.*

27. *Possuntne hæ duæ perfectiones separari? Possunt.*

28. *Declara utramq; exemplo hominis. Homo nullâ parte corporis mutilatus, sed ægrotans, habet quidem perfectionem partium corporis, sed non habet perfectionem graduum sanitatis. Homo verò optime valens sed mutilatus, v.g. digito, habet perfectionem graduum sine perfectione partium.*



## CAP. XXIV.

Partis specialis Tractatus prior:  
De DEO & Creaturâ.

1. *Quot sunt quasi species entis? Duæ, DEUS & Creatura.*

2. *Quid de hac divisione est observandum? Aliter de eâ judicant, qui peccatum inter non-entia, aliter qui inter entia reponunt.*

3. *Quid ergò censent illi priores? Divisionem istam esse unam è primis atqve immediatis entis divisionibus.*

4. *Quid hi posteriores? Eam esse unam è divi-*  
sio-

fionibus secundis, seu subdivisionibus, in cuius membra ens dividatur mediante aliquâ prædivi-  
sione.

5. *Quare?* Si enim ponamus, (quæ celebrium Theologorum est sententia,) peccatum non esse puram putam privationem, sed simul aliquid positivum: cum tamen nec DEUS sit, nec DEI creatura: necesse est, (modò divisionem Entis in Deum & creaturam, velimus esse adæquatam,) præmittamus divisionem Entis aliquam, quæ altero membro peccatum comprehendens, alterum membrum subdividat in DEUM & creaturam.

6. *Da ergò talem prædivisionem.* Ens est vel substantiale, seu substantia, vel accidentale seu accidens. Sub accidente peccatum est. Substantiale verò Ens subdividi poterit in DEUM & creaturam.

7. *Annon accidentia quoque (præter peccatum,) sunt creatura, seu entia creata?* Accidentia non creata, sed concreata esse dicuntur, ut creaturæ nomen servetur substantiis.

8. *Annon haberi potest aliqua Entis divisio prima, quæ solum DEUM uni, quicquid est entium, præter DEUM, sive creatura sit, sive accidens creaturæ, (sub quo & peccatum comprehendere licet,) alteri membro includat?* Potest, si dicamus; omne ens est vel infinitum, (tale solus DEUS,) vel finitum, (talìa præter DEUM cætera, quæ existunt omnia.)

9. *Atqui*

9. *Agvi hoc non est dividere ens in suas species, sed affectionem aliquam Entis disjunctam proponere, (de quâ actum est cap. XXII.) Scire te velim, disjunctas entis affectiones plerasq; omnes sic esse comparatas, ut, si rectè exponantur, DEUM à creaturâ, seu quicquid est præter DEUM, discernant, dum unum membrum soli DEO, alterum cuilibet creaturæ competit.*

10. *Quid autem tûm postea? Cùm DEUS & creatura sint species entis, disjunctæ autem istiusmodi affectiones vim habeant differentiarum, specificarum: sequitur, beneficio talium affectionum simul haberi posse divisionem in species.*

11. *Unde autem est, quòd affectiones entis disjunctæ DEUM à creaturâ dividunt? Ex eo, quia si eas inter se compares, una earum perfectionem, aliquam, altera imperfectionem implicat; DEUS autem Ens perfectum, imò perfectissimum est, creatura verò quævis, DEO collata, est imperfecta.*

12. *Quid autem fiet affectionibus Entis unitis? Etiam hæ possunt inservire ad distingvendum à creaturâ DEUM.*

13. *Quomodo? Si dicamus, eas aliâ ratione inesse DEO, aliâ creaturis.*

14. *Unde hoc evenit? Ex eo, quia quælibet earum notat aliquam perfectionem: quam quidem à se ipso habet DEUS & per essentiam, creatura verò non nisi à DEO & per participationem.*

15. *Quid inde? Dividemus ergò talem affe-*  
E
ctio-

ctionem juxta hos duos habendi modos, priorēq; DEO assignabimus, posteriorem creaturæ. Aut etiam utemur aliâ quâdam divisione in duo membra, quorum unum soli DEO, alterum cuilibet creaturæ possit applicari.

16. *Quomodo ergò DEUS distinguitur à creaturâ per affectionem unitam unitatis?* DEUS ita est unus, ut ne possint quidem esse plures Dii: sed creatura quævis ita est una, ut non repugnet in quâlibet creaturæ specie infimâ multiplicari naturam in pluribus individuis.

17. *Quomodo per affectionem unitam veritatis?* Hanc cap. V. diximus esse propositionis potius affectionem, quam entis. Ergò hîc tacere de eâ possumus.

18. *Sunt tamen, qui habent illam pro Entis affectione, & quidem unitâ.* Hi ergò dicant, DEUM esse verum per essentiam, creaturam per participationem.

19. *Quomodo per affectionem unitam bonitatis?* Bonus est DEUS per essentiam, creatura per participationem. (cap. VI. n. 7. 8.)

20. *Quomodo per affectionem disjunctam actûs & potentis?* Non commodè hoc procedet, nisi ex affectione disjunctâ fecerimus unitam.

21. *Quare non?* Quia ens, quod in DEUM & creaturam divideretur, accepimus pro solo ente reali per cap. II. n. 7. 9. tale verò ens quodvis est actus. Cùm verò actus & potentia, vel potius actuale & potentiale sumuntur pro affectione,

dis-

junctâ, tùm Entis vocabulum extenditur quoque ad ens rationis possibile per cap. VIII. n. 52.

22. *Quomodo ergò per affectionem solius actûs ut unitam distinguetur DEUS à creaturâ?* Solus DEUS est actus purus; Creatura quælibet actus impurus. (cap. VII. n. 13. seqq.)

23. *Quomodo per affectionem disjunctam principii & principati?* DEUS est principium cujusvis creaturæ; quævis autem creatura est principiatum DEI.

24. *Quomodo per affectionem disjunctam causa & causati?* DEUS est causa creaturarum omnium, ita quidem, ut solus sit earum & prima causa efficiens (cap. XIII. n. 11.) & finis simpliciter ultimus, (cap. XIV. n. 16.) omnes autem creaturæ sunt à DEO, & propter DEUM, atque sic duplici modo causata DEI.

25. *Quomodo per affectionem disjunctam necessari & contingentis?* Solus DEUS est ens absolute necessarium; quævis autem creatura est ens saltem aliquo modo contingens.

26. *Quomodo per affectionem disjunctam simplicis & compositi?* Solus DEUS est Ens absolute simplex; (cap. XVI. n. 26.) quævis autem creatura est ens saltem certo modo compositum.

27. *Quomodo per affectionem disjunctam singularis & universalis?* DEUS solus est ens singularissimum, quod non potest fieri universale: at quævis creatura sic est singularis, ut simul sit universalis, h. e. multiplicabilis per individua multa. (Repete n. 16.)

28. *Quomodo per affectionem disjunctam finiti & infiniti?* Solus DEUS est ens infinitum; omnis creatura finitum. (cap. XXII. n. 19. 20.)

29. *Quomodo per affectionem disjunctam perfecti & imperfecti?* Solus DEUS est ens absolute perfectum, h. e. habens omnes perfectiones simpliciter possibiles: Quævis autem creatura est ens certo modo imperfectum, h. e. non habens omnes perfectiones simpliciter possibiles.

•••••

CAP. XXV.

Partis specialis Tractatus posterior:  
De Substantiâ & Acci-  
dente.

1. *Quanam est præterea divisio Entis in species?*  
Cum dividitur in Substantiam & Accidens.

2. *Compara mihi divisionem hanc cum præcedente.* Cum dico, ens est vel DEUS, vel creatura, idem est ac si dicerem: ens aliud est à se, (nempe DEUS,) aliud ab alio, à DEO puta, (nempe creatura,) Ita cum dico, ens est vel Substantia vel Accidens, idem est, ac si dicerem: Ens aliud est in se (nempe Substantia,) aliud in alio, puta in substantiâ (nempe accidens.)

3. *Quid ergo est substantia?* Ens per se subsistens. Seu: quod non est in alio tanquam in sub-  
jecto.

4. *Da exempla.* Homo, arbor, Lapis.

5. *Quid*

5. *Quid est Accidens?* Ens non per se subsistens. Seu: quod est in alio, tanquam in subiecto.

6. *Da exempla.* Eruditio, (quæ est in homine;) viriditas, (quæ est in arbore;) durities, (quæ est in lapide.)

7. *Quenam prætereà notanda occurrunt de Substantiâ & accidente?* Tradi hæc solent in Logicis, cum agitur de decem Prædicamentis, quorum primum est Substantiæ, reliqua novem Accidentium. Igitur ad istam Logicæ partem te remitto.

## HISTORIA

Variaæ fortunæ, quam disciplina Metaphysica jam sub Aristotele, jam sub Scholasticis, jam sub Recentibus experta est.

### I.

**M**etaphysica est *scientia entis, quatenus ens*, ut habet philosophus noster IV. Metaph. 1.  
2. Per *scientiam* hîc intellige (1) habitum theoreticum demonstrativum: (2) sensu tam amplo, nihil ut referat, sive subiectum demonstrationis realiter differat à principio demonstrandi & affectione, sive non differat.

3. Per *Ens quatenus ens* Aristoteles intellexit ens primum, seu substantiam primam, quæ est DEUS (a).

(a) Vide *Philosophiam Altorsin.* p. 519. 520. *Soner.* ad *Metaph. Arist.* p. 3. *Piccart. Isag. in Arist.* c. 26. & ibi *Celeberr. Joh. Conr. Dürr.* p. 269.

4. Ratio, quia ens comparatione ad DEUM & creaturas, (loquamur hic more Christiano,) est vocabulum ab uno, (vulgò analogum vocant:) terminis autem analogis addita reduplicatio significat ipsum primum analogatum à secundis abstractum. Nam in his talibus ex mente Aristotelis ultrà primum analogatum abstrahendo non proceditur (b).

(a) *Conf. Scheibl. diss. X. §. 19. & inu. 2. Dreier.* p. 48. *Philos. prima.*

5. Favet huic expositioni etiam textus IV. *Metaph. 2.* cum aliis quibusdam Philosophi locis collatus. Cum enim ibi statuatur, totidem esse partes philosophiæ (subaudi theoreticæ,) quot sunt substantiæ; alibi verò (c) tres ponat substantias, duas mobiles, quarum altera æterna sit, (cælum,) altera corruptibilis, (substantia sublunaris,) & unam immobilem, (DEUM:) consequens fuit: ut tres quoque poneret partes istius Philosophiæ, Astrologiam videlicet, quæ cælum contempleretur, Physicam, quæ corpus sublunare, & Metaphysicam, quæ DEUM (d).

(c) *XII. Metaph. 1. & 6.*

(d) *Vide locos II. Phys. 7. VI. Metaph. 1. & XII. Metaph. 8. & Junge Casalpini lib. 1. Q. Perip. 4.*



6. E dictis patet causa, cur Metaphysica salutata fuerit Sapiencia, Philosophia prima, Philosophia absolutè, Theologia.

7. Item, quomodo ea possit esse scientia simul particularis de DEO, simul universalis de Ente in communi (e). In analogis enim id, quod primum est, simul habetur universalis mensura cæterorum omnium.

(e) Vid. Casalp. l. c. 10. Patet etiam quo pacto: & Somen. p. 6. ad Methap. Arist.

8. Neque verò demonstrari potest, Aristotelem voluisse Metaphysicæ suæ ipsum penetrale dividere in partem generalem, quæ agat de Ente in communi: & specialem, quæ de Substantiis & Accidentibus, DEO item atque Intelligentiis.

9. Commodè potius universi quatuordecim illi Metaphysicorum libri dividantur in tres partes, Περὶ Θεωρίας, Θεωρίας, & Περὶ Θεωρίας. Quarum prima sit quasi vestibulum, secunda penetrale ipsum, tertia quædam appendix.

10. Sed hîc sequendus est nobis ordo librorum is, quem restituit curiosissimus harum rerum indagator Samuel Petitus lib. IV. miscell. c. 9. Eum enim, qui vulgò circumfertur, jam Augusti Imperatoris ævo videns Nicolaus Damascenus non optimum esse deprehendit (f).

(f) intelligi hoc datur è proæmio Averrois in libros III. r. & XII. Metaph. p. m. 37. 100. & 290. Conf. Patric. discuss. Perip. f. 149. 150.

11. Περὶ Θεωρίας partim generalissimos terminos explicat, libro Περὶ τῶν ποσυχῶς λεγομένων,

& alio *περὶ ἐναντίων*, qui vulgò numerantur ille, quintus, hic decimus; partim disputat de scientiis, quarum Princeps est Metaphysica, libro *περὶ ὄψιμων*, qui vulgò sunt duo, secundus & quartus.

12. *Θεωρία* absolvitur novem libris, sed in hanc seriem digerendis, ut primum & tertium *περὶ δεχῶν*, sequantur sextus & septimus *περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν*: inde octavus *περὶ ὕλης*, nonus *περὶ ἐνεργείας*: deniq; decimus tertius, decimus quartus, & duodecimus *περὶ φιλοσοφίας*. Horum omnium pars maxima disputationem continet adversus aliorum opiniones de primis rerum principiis, minima ipsius philosophi de DEO & Intelligentiis doctrinam exhibet.

13. *Ἐπιθεωρίαν* unius liber facit, qui vulgò numeratur undecimus. Hunc Petitus extrà cæterorum ordinem locat, quoniam nullam habeat cum cæteris connexionem, nisi quòd è prioribus tantùm repetat multa (g).

(g) *Hæc de re & Piccartum vide c. 29. Isag. p. 211.*

14. Si hæc comparemus cum Metaphysicâ, qualem dant hodiè, qui ab eâ Pnevmaticam, h. e. disciplinam de DEO & Spiritibus rescindunt, perspicuum fiet, Pnevmaticam illis esse id, quod Aristoteli fuit ipsa *θεωρία* Metaphysica, Metaphysicam verò illorum tantùm esse priorem partem *περὶ θεωρίας* Aristotelicæ, in aliquam scientiæ justæ figuram excitatæ.

15. Equidem, quæ de Ente & affectionibus  
ejus,

ejus, summis item generibus prædicamentalibus in hoc opere nobis reliquit Aristoteles, ea tantum non omnia leguntur libris quinto & decimo. Sanè solus quintus ultra quadraginta terminos exponit (b), neq; ulli prætereà esse videntur magnoperè, qui ad hos non possint reduci.

(b) Enumerat eos Cornelius Martini p. 23. *Metaph.* tametsi triginta duos tantum numerat Philippus Melancthon infra n. 24.

16. Ergò si loqui volumus, quod res est, pro Philosophiâ primâ hodiè seu Metaphysicâ habemus Lexicon Aristotelis Philosophicum, h. e. pro disciplinâ principali instrumentalem: quam ipse si rogaretur Aristoteles, non partem esse diceret philosophiæ, sed adminiculum quoddam præparatorium.

17. Quanquam enim Averroës initio Comment. in lib. V. *Metaphys.* p. m. 100. asserit, expositionem istorum nominum esse partem hujus scientiæ per se, quia omnia ista nomina dicantur secundum relationem ad unum quid modis diversis, i. e. sint analogæ; quâ in re consentientem nactus est Albertum (i): tamen magno numero reclamant interpretes alii (k).

(i) Teste Dreiero p. 91. *philos. prima.*

(k) Dreierus d. l. p. 92. *Cornel. Martini. p. 24. Metaph. §.* Atque hi quidem. *Maxim. Reß. Calovius Part. gener. Metaph. Disin. p. 163. Piccart. cap. 29. Isag. p. 201. qvæ aperte negat hunc librum esse Philosophicum, nec enim hanc laudem mereri Lexica. Soner. p. 265. in Metaphys. Arist. qvæ munus hoc excutiendi potestates nominum assignat Padia.*

18. Imò Averroes ipse non satis constare sibi videtur, cum quantitatem, (de quâ Aristoteles cap. 13. lib. V. Metaph.) alibi statuat esse nomen univocum vel analogum, alibi æquivocum (l), quòd si quantitas nomen est æquivocum: quomodo distinctio hujusmodi æquivocorum potest esse pars per se scientiæ, & non Lexici potius, cum æquivoca sub scientiam non cadant?

(l) Vide Volum. I. Oper. ejus parte II. p. 163. & Tomitan. in solutionibus contradictionum p. 77. quem frustra laborare puto, ut Averroem sibi conciliet. Conf. Zabarell. lib. I. poster. anal. p. 787. 788.

19. Quid? adeò in illis terminorum expositionibus lexicographum sapit Aristoteles, ut ea promat nonnunquam, quæ Vocabularii Grammatici scriptorem deceant magis quàm Philosophum. Qualia omnino sunt ea, quæ V. Metaphys. 26. differuntur de diversâ vi vocabulorum totius & omnis, item de eo, quod *mutilum* vocatur.

20. Cum ergò & hodierna Metaphysica quintè illius libri terminos non egrediatur: vix est, ut pro parte Philosophiæ principali haberi debeat.

21. Inter præparatorias autem disciplinas non indecorè locum à Logicâ proximum occupabit, quippe cui ob universalitatem objecti valdè affinis est. Quam affinitatem in suâ etiam Metaphysicâ agnovit Aristoteles lib. IV. c. 2. (m)

(m) Verba hæc sunt: ὡς τὸ αὐτὸ γένος εἰσέφεται ἢ σοφιστικὴ καὶ ἢ διαλεκτικὴ τῆ φιλοσοφίας &c. quem locum & respiciunt Piccart. Isagog. p. 282. ed. Dürr. add. p. 297. 307. Huc refer & illud Averrois Tom. VIII.

VIII. p. 356. in epit. *Metaph. Arist.* Cuius (*universalis scientia*) species sunt tres, scil. Ars Topicorum, Ars Elenchorum, & hæc Ars. *Ettam Dreierus p. 52. agnoscit, si quis ex primâ Philosophiâ tollat contemplationem Dei non inisponiōs eam tractari, sed ut Topicam, nec manere scientiam, multo minus sapientiam.*

22. Quid autem etiam factum sit, videmus. In multis Academiis Dialecticæ Professioni conjuncta est Metaphysica, instrumentali videlicet instrumentalis. Et B. Dannhauerus illam terminorum Metaphysicorum explicationem *ὀρολογίας* titulos insignitam, (quasi qui intelligeret, Metaphysici nominis dignitatem ab eâ sustineri amplius vix posse,) Epitomæ suæ Dialecticæ adiecit. Ubi quidem cum p. 2. falsus esset, Metaphysicam esse *Lexicon Lexicorum Philosophicorum*, pag. seq. addit, hoc *ὀρολογίας* munus Dialecticæ olim datum fuisse à Stoâ.

23. De Rameis nihil hîc dicam. Ipse Philippus Melanchthon Metaphysicam cum Logicâ conjunxit, ut ex Chytræo refert Georg. Andreas Fabricius f. 6. Tab. Philosoph.

24. Verba Chytræi hæc sunt p. m. 75. Reg. Studiorum: *Sunt & XIV. Metaphysicorum libri magnâ ex parte Dialectici, partim etiam Grammatici, ut Reverendum Præceptorem nostrum Philippum judicare memini. Qui hoc etiam addebat, utilissimam Metaphysicorum partem esse grammaticas enarrationes triginta duorum (n) vocabulorum παλυσή-*

*μῶν*  
(n) possunt etiam ultra quadraginta numerâri, supra  
vum. 25.

*μω* in libro 4. (o) & doctrinam de causis seu *απτη-  
λοις* veritatis & certitudinis rerum in libro 3.  
& 10. (p)

(o) *Aliis est quintus.*

(p) *Locum hunc paucissimis immutatis suum quoque  
fecit Ambrosius Reidentius sub finem c. 6. d. Philosophia.*

25. Ad hanc Metaphysicæ Aristotelicæ trans-  
figurationem, quæ cum esset scientiarum Regina,  
facta est omnium disciplinarum tantum non fa-  
mula, quemadmodum pervenerimus, operæ pre-  
tium est investigare.

26. Si ultimos fontes scrutamur, nihil aliud  
istam metamorphosin peperit nobis, quam igno-  
ratio naturæ analogorum. Id quod animadver-  
tit Dreierus, cum p. 48. philosoph. primæ scriberet:  
*Scholastici, naturam horum vocabulorum non ob-  
servantes, & philosophiam primam, & omnem penè  
solidam philosophandi rationem perverterunt.*

27. Ita enim est. Qui mentem Aristotelis de  
analogis (q) non perspexerunt, arbitrati sunt, ab  
analogis quoque abstrahendam esse naturam pri-  
mo analogato cum secundis communem, & ab  
omnium analogatorum differentiis separatam.

(q) *Utemur hac voce vel compendi gratiâ, quæ quædam  
observarunt viri docti, aliud Aristoteli esse τὰ ἀφ' ἐνθ',  
aliud analogia.*

28. Atque sic à DEO quoque & creaturis, à  
substantiâ & accidente cum abstraxissent conce-  
ptum aliquem entis communem: tale ens ita  
abstractum putaverunt esse objectum Metaphy-  
sicæ, & designari verbis in definitione positum, *ens*

*qua-*

quatenus ens, & in hac abstractione verti universalitatem Metaphysicæ.

29. Jam hoc errore admissio evitari non potuit, quin ipsa entis analogia vocaretur à multis (r) in dubium. Talem enim abstractionem, qualem Scholæ moliebantur, ut inimicam suæ naturæ, analogia planè averfata sub eâ deniq; animam agere & exspirare cæpit. Neque verò poterat res non abire in univocationem, abjectis in illâ præcisione omnibus differentis contrahentibus.

(r) *Ens univocum esse respectu DEI & creaturæ docent Scotista & Nominales. Vid. Schautheet contro. Philos. lib. V. p. 826.*

30. Vide autem, quò res porrò evaserit. Cùm enim ex analogis facta sic essent univoca, inventi sunt, ut solet esse foecundus error, qui hanc eandem vim facerent etiam æquivocis. Illa enim abstrahendi libido ruptis semel repagulis intrà Deum & creaturam non sterit, sed latius grassata ab ente quoq; complexo & incomplexo, ab ente per se & per accidens, ab ente actuali & potenciali, ab ente reali & rationis, ab ipso tandem ente & non-ente conceptum communem abstraxit, eamq; Metaphysicæ supposuit pro objecto. Quod faciens Timplerus objectum hoc nomina intelligibile (s).

(s) *Ipsam vide lib. I. Metaph. c. 1. probl. 5. p. 6. 7. & Probl. 6. p. 11. & c. p. 22. & c. 3. probl. 6. & 8. f. 31. 33.*

31. Hæc opinio ex Aristotelicis principiis facile fuerit refutata, tantùm si dicas, non esse abstrahendum ab analogis, multò ergò minùs ab æqui-

æquivocis. An æqvè proclive sit illam refellere è doctrinâ Scholasticorum, vehementer dubito, præsertim cum æquivoca consilio facta maximè sint analogis affinia.

32. Sanè verò natura entis per accidens, entis potentialis, entis rationis; non-entis cognoscitur quodammodo ex qualicunq; similitudine ac respectu ad ens per se, actuale, & reale, ut in his ad eò & analogia quædam locum habere videatur, ne Aristoteli quidem ignorata (r).

(r) Inspice IV. Metaph. 2. f. m. 665. & adde Dreier. p. 44. Philos. prima, quæ ne privationes quidem ac negationes è subjecto hujus scientia excludit.

33. Ac nescio, an non, posteaquam semel placuit pro Metaphysicâ dare Lexicon Philosophicum, convenientius fuerit, illam abstractionem, suprâ æquivocata etiam entis, quàm suprâ sola analogata, elevare. Virtus enim Lexici est, nihil omittere, & in æquivocis potissimum annotandis curiositatem approbare. Pulchrè prætereà futurum sic erat, ut in primo descensu mens nostra non-ens ab ente, rationis ens ab ente reali disceret internoscere, postea demum in classe entium realium creaturam quoq; à Creatore, accidens à substantiâ separaret.

34. Prolatis hunc in modum Lexici Philosophici terminis, amplificatoq; Metaphysices objecto adusq; universum intelligibile, si scientiæ facies huic doctrinæ circumponatur, cogitandum aliis relinquo, num necesse sit extra scientiæ talis

po-



pomœria quærere Noologiam & Gnostologiam?

35. Detexi ultimum fontem, ex quo factum est, ut pro Aristotelis Metaphysicâ veneremur in Scholis hodiè disciplinam aliquam instrumentalem: & ex ignorantia naturæ analogorum factum id esse demonstravi. Non planè tamen infeliciter cecidit error iste. Lexicon enim Philosophicum nullo prope ordine dispositum industria Scholasticorum elaboravit nobis in similitudinem justæ scientiæ, & ejus quidem adeò comptæ, ut, famula quæ esset, fallere pro ipsâ Reginâ potuerit hætenus (u); adeò utilis, ut absque illâ sperari vix possit solida in ullo genere illustrium disciplinarum eruditio.

(u) Habent aliàs Lexica sua Theologi, habent Jctis, habent Medici. Sed nemo, quod sciam, ex his Lexicon habet sua Facultatis in formulam scientiæ sic redactum, ut principalem disciplinam id Lexicon mentiri potuerit. Si quæ hæc gloria est, propriam habent Philosophi. Egerit autem huic Lexico planè contrâ quàm Papa. Istitulum sibi sumens quondam servi servorum reverà Dominus fuit Dominorum, (quæ jure, non hic disputo.) Contrâ Lexicon hoc sub Metaphysica personâ regnans titulum arrogavit sibi scientiæ scientiarum, cum verius potuisset ὀργάνον ὀργάνων.

36. Jam cum talis forma Lexico illi non potuerit imponi absque beneficio præcisionis in analogata entis immistæ; quanquam ea nec debebat fieri, si Aristotelem sequimur, nec ad ipsam Theologiam naturalem, ut sic, est necessaria: condonemus tamen hoc ausum sive utilitati aliàs hinc emergenti, sive tot jam seculorum innoxie  
pro

propemodum consuetudini, dum id meminimus modò, quod sapientissimè observat summus juxta Theologus ac Philosophus Scherzerus p. 308 Breviarii, utcunqve Ens comparatione DEI & Creaturæ, juxtà formalem conceptum sit univocum, juxtà objectivum certè univocum non esse. Quod idem de præcisione quoq; à substantiâ & accidente affirmare licebit.

37. Enimverò ut hoc obiter moneam, duæ sunt in primis Entis divisiones analogicæ: una fit in DEUM & Creaturam; altera in substantiam & accidens. Prioris differentiæ sunt esse à se & esse ab alio, nempe à DEO; posterioris, esse in se & esse in alio, nempe in substantiâ. Porro quòd DEUS à se, substantia in se esse dicitur, utrumqve negativè capiendum est à nobis.

38. Sed in historiâ Metaphysicæ pergamus. Cùm viderent Scholastici, ab Aristotele in hâc scientiâ de DEO & Intelligentiis, (Angelos vocaret Christiana Philosophia,) de substantiâ item, ex professo fuisse disputatum: universali isti disciplinæ assuendam ipsi putaverunt sive scientiam particularem, sive partem specialem de DEO & Angelis, de substantiâ & accidente: neqve hoc ipsum tamen omnes eodem modo.

39. Verùm sicut in parte suâ generali mentem Aristotelis non sunt assecuti: sic in hâc etiam speciali ab eâdem exciderunt.

40. Primò enim tractatus idem de DEO, tanquam substantiâ primâ, & generalis est Aristoteli  
&

& specialis (x); Scholaſtici autem eum pro ſpeciali tantum. non pro generali habuerunt.

(x) per ea, quæ n. 7. diximus.

41. Deinde apud Ariſtotelem ſcientia illa generalis, quæ virtualiter latet in doctrinâ de DEO, quaſi accessio quædam eſt, ultrò conſequeus ad notitiam analogati primi (y); apud Scholaſticos hic ordo planè inverſus eſt. Præcedit enim doctrina de Ente univerſalis, ſequitur doctrina ſpecialis de DEO ac ſubſtantiâ.

(y) Commune enim illud, quod de analogis dicitur, non ut in generibus prius eſt, ſed poſterius, Scherb. diſſ. X. §. 24. Soner. p. 7. ad Metaph.

42. Et illam quidem de Deo nonnulli eorum pro acceſſione tantum honorariâ habuerunt, credentes eam ab ipſo quoque Ariſtotele aſſutam, fuiſſe tanquam laciniam alioqui exilitate ſuâ perituram: qui quidem eâ in re omnium abſurdiſſimè de conſilio ejus pronunciarunt.

43. Sed deſinamus hic Scholaſticos ad Ariſtotelem vocare. Ex propriis illorum principiis rem examinemus. Quibus tamenſi conſentaneum hoc eſt, quod generalia per abſtractionem ab omnibus ſpeciebus orta ſpecialibus præmittenda veniant: nondum tamen ſic omnis ſublata eſt difficultas.

44. Cùm enim Metaphyſicam voluerint eſſe diſciplinam univerſaliſſimam: aut nullam illi annectere debebant ſcientiam ſpecialem; aut nullam, quam non annecterent, præterire.

45. Hæc illa difficultas eſt, quâ implicata eru-

ditorum hominum ingenia in duas abierunt vias.

46. Nam Antonius quidem Mirandulanus (z) scientiam illam, quæ considerat ens quatenus ens, h. e. Metaphysicam voluit esse unam omnium rerum, & ad earum specialissimas usq; rationes ita progredi, ut Physica ac Mathematica perinde sint ejus partes, ceu doctrina de cælo aut de homine, est pars Physices.

(z) Vid. Perer. Phys. p. 26. Arnise, Metaph. p. 17. Werenberg. Metaph. p. 47. 94. Scheibl. Metaph. p. 18. Etiam Ægidio tribunt Scheiblerus & Werenb. d. l. quod Metaphysicam soluerit ad ultimas usq; species ac differentias progredi.

47. Verum quia hoc repugnat communi & receptæ sententiæ de multitudine scientiarum ac limitibus: maluerunt alii in contrarium iter deflectere, & abscindere à Metaphysicâ partem illam specialem de DEO & Intelligentiis (a)

(a) Savonarol. lib. 1. de scient. p. 777. Subjectum Metaphysices, ens quatenus ens, explicat de transcendentibus tantum. Metaphysica non descendit ad ullarum rerum particulares tractationes, ut putat Svarius disp. 1. s. 2. Verba sunt Arnise p. 18. Metaph. Quam pleriq; Pneumaticam hodie, Raynaudus p. 15. Theol. Nat. vocat naturalem Theologiam, & tam hanc, quam Metaphysicam scientiam totalem esse contendit.

48. Id ipsum Pererio sic placuit, ut statueret, non modò dari duas scientias distinctas inter se, quarum una agat de Transcendentibus & universalissimis rebus, altera de Intelligentiis (b): sed etiam non pessimè sentire pronuntiaret, si quis po-

neq;

(b) Lib. 1. Phys. c. 7. concl. 3. p. 25.

neret scientiam DEI secundum ea, quæ possunt de eo naturaliter cognosci, distinctam à scientiâ Intelligentiarum (c).

(c) *Ibid.* p. 25. *conf. Bodin. Theat. Nat.* p. 520.

49. Quod postremum profectò magis consentaneum dixerim Philosophiæ Christianæ, quàm vulgarem doctrinam, quæ & ipsa Pnevmaticam ab Ontologiâ abscindens, in eâ simul de DEO, simul de Angelis agendum putat: non animadvertens, Aristotelem quidem, cur ita faceret, causam in Philosophiâ Gentili reperisse, Christianos eandem in suâ Philosophiâ minimè reperire.

50. Nam quòd Aristoteles Intelligentias DEO conjunxit, non invito id fecit dogmatibus Ethnicorum, qui Genios atque Intelligentias existimabant esse *δοκασμάτια* quædam ex ipsâ divinâ essentiâ, adeoque divinâ præditas naturâ, non ex nihilo procreatas. Qui & fons fuit *πολυθεότης* ethnicæ minimè postremus.

51. Atqui nos contrà scimus, Angelos æquè ut creaturas alias originaliter fuisse omnipotentis DEI verbo productos ex nihilo, damnatamq; sæpiùs in vetustis hæreticis illam sententiam, quæ Angelos ex ipsâ DEI substantiâ derivaret.

52. Itaq; non displicere debet hâc in causâ Pererii argumentum, urgentis (d) majorem esse distantiam & diversitatem inter DEUM & Intelligentias, quàm inter has & res naturales: quippe

F 2

magis

(d) *d. l. p.* 25. & 26.

magis distare finitum ab infinito, quàm ab altero finito; plura item esse communia Intelligentiis cum creaturis aliis, quàm cum DEO, & hæc ipsa, quibus à DEO separantur Intelligentiæ, esse insigniora; etiam abstractionis rationem aliam esse in DEO, aliam in Intelligentiis: ut enim cunqve hæ abstractæ sint à materiâ sensibili, habere tamen in se materiam quandam spiritualem & Metaphysicam, atq; adeò potentialitatem, quâ prorsus liberrimus sit DEUS.

53. Verùm perfecit nihilominus præjudicata jam à tot seculorum Scholasticis opinio de conjungendo in unam scientiam cum spiritibus creatis Creatore DEO, ut major pars recentium, qui scientiam particularem ab universali sejunctam vellent, relinquerent DEUM in eadem scientiâ cum Angelis, quam Pnevumaticam appellavere.

54. Scholasticos autem, ut ita sentirent, vix quicquam potentiùs movit, quàm cupiditas sectandi Aristotelem, conjuncta cum ignorantia erroris Aristotelici de *ὁμοσιᾷ* DEI & Intelligentiarum, qui error ab homine Christiano meritò despuitur.

55. Enimverò de Aristotele adeò præclarè ipsi fenserunt, ut non modò supremum doctorem haberent artium Philosophicarum, sed in his ipsis etiam proximè ad veritatem revelatam accessisse, eoq; inter ethnicos minimè ethnicum fuisse, crederent. Unde de salute etiam ejus æternâ scriptus olim fuit liber.

56. Jam

56. Jam cum nec principium ejus Philosophicum satis attingerent, è quo ipse tres Philosophiæ theoreticæ partes Metaphysicam, Physicam & Astrologiam deduxisset, (deduxit autem ex triplicitate substantiæ: ) ab eo principio deficientes arripuerunt alios quosdam ejus textus, ubi abstractionum fit mentio, istasq; Philosophiæ partes (pro Astrologiâ tamen Mathesin totam invehentes, ) uti Aristoteles præcipuè juxtâ triplicem substantiam(e), sic ipsi juxtâ triplicem abstractionem inter se discreverunt (f).

(e) Regredere ad n. 5.

(f) Vocaverunt autem abstractionem Physicam, quæ fieret à materiâ singulari tantum; Mathematicam, quæ à materiâ singulari pariter & communi, non re tamen, sed ratione; Metaphysicam, quæ ab omni materiâ repariter & ratione.

57. Verùm hîc fortasse nec Aristotelem satis intellexerunt: neque id rectè posuerunt, triplici abstractioni inædificatas quasi esse scientias (g): deniq; neq; hoc satis commodè, quòd eidem abstractioni & conceptum entis generalem, & DEUM, & Intelligentias tanquam ergastulo incluserunt (h).

(g) Unde hanc structuram reperti sunt, qui impugnaverent, ut Franciscus Patritius *Discuss. Perip.* f. 224. *Perer. Phys.* p. 27. *VVerenb. Metaph.* p. 48. *Dn. Dürr. ad Isag. Piccarti* p. 129.

(h) Ipsi tandem Scholastici agnoscerunt aliâ abstractione (secundum essentiam) ad DEUM, aliâ (secundum indifferentiam) ad entis communem conceptum pervenire. De abstractione Intelligentiarum repete, quæ n. 52. diximus è Pererio.

58. Quæ cum ita fiat, si quis negotium suscipere velit emendandi ea, quæ hoc in genere, hinc à Scholasticis, illinc ab ipso etiam Aristotele peccata fuerunt, is non incommodè fortassis hanc inibit rationem, ut ante omnia separet Ontologiam ceu disciplinam universalem & instrumentalem ab omnibus particularibus ac principalibus, adeoque & à doctrinâ de DEO & Angelis.

59. Quæ quidem reverà nihil aliud erit, quàm Lexicon Philosophicum: scientiæ tamen (sed instrumentalis) pondus ac similitudinem utcunque sustinebit, si in eâ, quod factum est hætenus, rerum ordo justus observetur. Concinnior autem ejus erit fortasse facies, si abscissâ omni parte speciali doctrina de substantiâ & accidente, aut planè remittatur ad Logicam, aut beneficio distinctionis inter subsistentiam & inhærentiam, inferatur affectionibus entis disjunctis.

60. Quo pacto faciliùs etiam defendi poterit usitata disciplinæ hujus definitio, quòd sit *scientia Entis quatenus ens*, purgariq; à scrupulo Stahlî, qui ipsum sic urfit, ut illam definitionem planè tandem abjiceret (1).

(1) *Discurs. ad Tab. Metaph. f. 35. Summa Stahlîani argumenti hæc est: Ens quatenus ens aut notat (1) conceptum entis solum communem sine ullo speciali, aut (2) solos speciales sine communi, aut (3) communem unâ cum omnibus, aut (4) eundem cum quibusdam tantùm specialibus rationibus. Priora tria refellentur ipso facto, si quidem Metaphysici in parte generali persequuntur conceptum entis communem, in speciali vero non speciales omnes cum Antonio Mirandulano, cujus alioqui est absurda opinio, sed*



sed quasdam tantum, substantia puta & accidentis. Verum huic ipsi quarto membro repugnat usus loquendi. Quis enim ita loquentem intelliget? Quis discernabit, si nihil aliud audiat, quam ens, quatenus ens, quatenam speciales rationes significantur, quatenam excludantur? Sensus Stahlu expressi, non verba, nimis hic proluxa.

61. Secundò faciendum & illud fuerit, ut Pererii consilium secuti Theologiam naturalem separemus ab Angelographiâ, seu scientiâ de spiritibus creatis. Habendus enim omninò hic honor DEO est, ut dignum putemus, cui peculiaris dedicetur disciplina Philosophica (k).

(k) Placuit hac mihi sententia jam in Schediasm. Philos. p. 12. 13. Quo in opusculo p. 6. seqq. hanc ipsam quoque, Metaphysica Variam fortunam, cui scripta est presens historia, sed paulò brevius, & aliis lineamentis, exposui.

62. Quòd si maximè naturali hâc Theologiâ sic uti velis, ut ejus velut occasione simul exhaustas terminos illos generales, qui aliàs Ontologiam circumscribunt, non desperandum est de hujus etiam consilii successu, si ingenium adhibeas atque industriam. Sed eâ de re fortasse dicetur à nobis alibi.

## INDEX CAPITUM.

### Præcognita.

I. De naturâ & divisione Metaphysica.	pag. 1.
Partis Generalis	
Tractatus prior.	
II. De naturâ Entis.	2.
Tractatus posterior.	
III. De affectionibus Entis in genere.	3.
	IV.

INDEX.

IV. De uno.	4.
V. De vero.	5.
VI. De bono.	7.
VII. De affectionibus disjunctis in genere, & de actu in specie.	10.
VIII. De potentiâ.	12.
IX. De principio & principiato.	17.
X. De causâ & causato in communi.	19.
XI. De materiâ.	25.
XII. De formâ.	29.
XIII. De causâ efficiente.	31.
XIV. De fine.	34.
XV. De necessario & contingenti.	37.
XVI. De simplici & composito.	40.
XVII. De toto & partibus.	43.
XVIII. De eodem & diverso.	46.
XIX. De distinctione.	50.
XX. De oppositione.	52.
XXI. De universali & singulari.	55.
XXII. De finito & infinito.	58.
XXIII. De perfecto & imperfecto.	60.

Partis Specialis

Tractatus prior.

XXIV. De Deo & Creaturâ.	63.
--------------------------	-----

Tractatus posterior.

XXV. De substantiâ & accidente.	68.
---------------------------------	-----

*Historia varia Fortuna, quam disciplina Metaphy-  
sica jam sub Aristotele, jam sub Scholasticis, jam  
sub Recentibus experta est.*

69.

F I N I S.

Ung IV A 98

ULB Halle

3


001 956 124



Sb.

1077

Σ




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



4  
OMASIE  
ca  
HY-  
bus.  
ortunæ,  
experta  
or & Cor-  
lect. Saxon.  
CI FROMMANNI  
DLERI.

